# HENRICI BOCERI JC.

*INCLYTÆ UNIversitatis Tubingensis Professoris Ordinarij, &c.*

Commentarius brevis

# DE ADULTERIO ET ADULTERIS.

*TUBINGÆ,*
*Typis Philiberti Brunnii, Iohan- Alexandri Cellii Successoris.*
ANNO M DC XXV.

tur. Hi enim negociis ſuis vacare iugiter parati ſunt, & ſi cui publico præſunt muneri, fœliciter illud exequi lætantur. Qui verò aduersâ valetudine vexantur, neque privatis ſuis rebus ſupereſſe, neque publica obire munia ſua valent; Id quòd egomet ex multorum menſium morbis proprio exemplo didici abundè; Cùm geminæ profeſsioni meæ Iuris, & ſupremi Tribunalis Wûrtem-

tembergici Aſſeſſuræ aliquandiu operam nauare non potuerim. In animum induxeram meum, jampridem incepti commentarij mei in IV. lib. Inſtitutionum pertexere telam, ſed diuturniore corporis infirmitate impeditus à propoſito hoc declinandum mihi hactenus fuit. Certum quoque mihi erat, meditationes meas in Carolinas ſanctiones criminales abſolvere, & pu-

blici Iuris facere. Quosdam etiam tractatus antehac impressos, quorum exemplaria distracta sunt, rogatus à Typographis regustare, & auctiores reddere constitueram; Verùm & huic instituto meo obstitit cumprimis imbecillitas valetudinis crebra. Et licet me spes foveat non exigua, fore ut brevi recuperem valetudinem pleniorem, attamen cùm ex varijs illis morbis, qui-

bus

bus cum negocium mihi longo tempore fuit, corporis languorem adhuc ſentiam haud levem, laboribus multis & gravibus parem me nondum reperio; ut proindè, ſi vires, quæ ſuperſunt mihi, non planè extingui velim, animi contentionibus ut parcam, neceſſe habeo. Suaſu amicorum, vitæ longiori, & ſaluti meæ qui favent, hoc anni tempore, ſi conſtitutione cœli

possemus frui salubriore, prospectu collium, & hortorum, ac vinearum amœnissimarum, vt & apricâ deambulatione me cottidie oblectarem atque ita ope divinâ facilius collapsas reficerem vires.

Quòd si Jehovæ in me clemens (quod spero) fuerit voluntas, ut mihi commoda restituatur valetudo, reliquum etiam vitæ meæ tempus, quantum à publicis negocijs mihi super-

ſuperfuerit ſpacij, illuſtrando Juri noſtro lubens tribuam. Majus enim monumentum relinqui non poſſe poſteritati, quàm ingenij & induſtriæ planê exiſtimo.

Hunc quod attinet Tractatum meum, antehac confectum, eſt quidem ille, paginarum ſi ſpectes numerum, brevis admodum, verùm brevitas illa rerum vtilium

copiam complectitur non exiguam; quam Lector beneuolus æqui bonique consulturus sit, nihil dubito. Tubingæ 2. Junij, Anno 1625.

JOSE-

# JOSEPHUS

lib. 18. cap. 7. Antiquit. hanc de adulterio, singulari astu & fraude commisso, historiam refert.

*TIBERIO REgnante, Romæ Paulina quadam generis splendore, & morum integritate præstans, opibus item abundans, ac vultu venusto, & ætate integrâ, nupta erat Saturnino viro nullo bonorum genere ipsâ inferiori. Hujus amore captus Decius Mundus,*

*dus, inter Equites dignitate præ-
ſtans, mulieris pudicitiam mu-
neribus ſolicitabat, ducenta mil-
lia drachmarum Atticarum pro
uno concubitu pollicens, eâque
recuſante, amore magis inflam-
mabatur, adeò ut abſtinentiâ ci-
borum necem ſibi conſciſcere in-
ſtituerat. Habebat autem pa-
ternam libertam nomine Iden;
omnis generis malorum peritam.
Ea adoleſcentem ſic affectum
verbis confirmat, & pollicitatio-
nibus refocillat, ac ſibi duntaxat
quinquagies mille drachmis opus
eſſe dicit ad rem cōficiendam: qui-
bus acceptis, cùm illam pecuniâ non
expugnari poſſe cerneret, ſed cultui
Iſidis (ea tum à Romanis pro Diuâ
cole-*

*colebatur) esse deditissimam: quosdam falsæ illius Deæ Sacerdotes convenit, pecuniam offert, vt Paulinam, quibus possint dolis circumventam Mundo sui copiam facere cogant. Illi pecuniâ deliniti, facinus aggrediuntur. Eorum natu maximus Paulinam seorsim convenit, se ab Anubide ipsius amore capto missum esse profitetur, ut eam accerseret. Mulieri ea verba optatissima acciderunt, si à Deo amaretur; & nuncium illud cum marito communicat, qui gnarus modestiæ coniugis eam ad locum à Sacerdote monstratum ut Anubidis amori serviret, abire sinit. Mundus jam ante ibi abditus per totam noctem sub Anubidis nomine li-*

*ne libidine suâ expletâ, discedit. Illa reuersa Anubidis apparitionē marito narrat, apud familiares de cōgressu Dei gloriatur. Sed tertio pòst id facinus die, Mūdus ei obuiā factus, Paulina inquit, & ducenta millia habeo, & tu mihi gratis gessisti morē. Tua verò erga Mundū injuria me non attigit, qui Anubidis nomen mihi ipse fecerim. E quibus verbis mulier intellecto facinore, vestib. laceratis marito insidias indicat. Is apud Tiberiū conqueritur. Imperator facinore cōperto Sacerdotes & Iden in crucē tollit, Isidis simulachrum in Tiberim demergit, Mundum in exiliū agit, pœnam grauiorem ob amoris vim clementiâ moderatus.*

ELEN-

# ELENCHUS QUÆSTIONUM QUAE IN HOC tractatu enodantur.

## QUÆSTIO I.

CUM inter Civile & Canonicum Ius diſſidium quoddam ſit, an uxoratus cum ſolutâ muliere concumbens, adulterium committat, dilucidatur quodnam Ius ſequi debeamus? *cap.* 1. *num.* 25. *& ſeqq.*

## II.

An Iure noviſſimo Carolino Ius vetus Iuſtinianeum ſit immutatum, & cõtra illud definitum, quòd etiam coniugatus vir adulterium cum ſo-

lutâ muliere committat? *cap.* I.*num.* 37. *& seq.*

III.

Vtrùm in sponsâ alienâ adulterium committatur? *cap.*I.*num.*41.42. *& seqq.*

IV.

Perpetretur nè adulterium cum uxore alienâ meretrice vulgari. *cap.*I. *num.* 53. 54. *& seqq.*

V.

Num mas concumbens cum uxore alienâ, liber sit à crimine aduterij, si ignoraverit eam esse uxorem alterius, & an huiusmodi ignorantia præsumatur? *cap.* I.*num.*58.*& seq.*

VI.

An committat adulterium, qui se cum uxore alienâ iniustâ carnaliter commiscet? *cap.*I.*num.*64.65.66.67. *& seq.*

VII.

Quinam admittantur ad accusationem adulterij? *cap.* 3.*num.* 2.3.*& seqq.*

VIII.Vtrùm

VIII.

Vtrùm maritus, si contra uxorem, vel uxor contra maritum de adulterio egerit civiliter ad thori separationem, & dotis ac donationis propter nuptias amissionem, postea criminaliter de eodem possit accusare adulterio? *cap.* 3. *num.* 22. 23. *& seq.*

IX.

Cùm maritus de adulterij accusatione criminali nō possit cum uxore suâ transigere, utrum factâ illâ transactione integrū ei sit uxorē de adulterio accusare? *cap.* 3. *n.* 25. 26. *& seqq.*

X.

Quænam sit causa, cur de adulterij crimine & ejus accusatione transigere aut pacisci non liceat? *cap.* 3. *num.* 32. 33. *& seqq.*

XI.

Quonam loco & ordine accusatio adulterij instituenda sit? *cap.* 3. *num.* 54 55. *& seqq.*

XII.

Cùm accusatio de adulterio insti-

tui quoque possit in loco ubi reperitur adultera, sitnè hoc intelligendum de omni omninò loco, vel quo reus, aut rea domicilium habeat? *cap.3.num.59.60.&seqq.*

XIII.

Num Princeps, vel Comes alicuius Provinciæ, aut Civitatis Imperialis Magistratus, in cuius territorio crimen adulterii admissum est, desiderare possit ab alterius loci Magistratu superiore, in cuius districtu reus adulterij reperitur, ut ipsum reum ad delicti locum remittat? *cap.3.num.63 64.&seqq.*

XIV.

Si adulterium vel aliud crimen quodam mandâte admissum sit, qui diversi fori domicilium habeat, an in loco ubi domicilium habet, qui mandavit delictum fieri, accusatio institui debeat, vel in loco perpetrati delicti? *cap.3.num.72.&seqq.*

XV.

Qualiter formandus sit libellus accusa-

cusationis adulterij? *cap.* 3. *num.* 88. 89 *& seqq.*

XVI.

Utrùm accusator diem commissi criminis adijcere teneatur libello, si reus accusatus ad sui defensionem id desideret? *cap.* 3. *num.* 99. 100. *& seq.*

XVII.

Si accusator suâ sponte in libello diem & horam commissi adulterij expresserit, non autem probaverit, quòd eo die & horâ crimen illud sit admissum, num hoc casu ipso crimine probato ab accusatore, condẽnandus vel absolvendus sit reus? *cap.* 3. *num.* 102. 103. *& seqq.*

XVIII.

An ut accusator locum & mensem commissi adulterij ponere tenetur in accusationis libello, ita & ipse reus suâ in exceptione has circumstantias exprimere debeat, putà quòd alio quodam loco & tempore fuerit, cum delatum crimen esset admissum? *c.* 3. *num.* 108. 109. *& seqq.*

XIX.

Utrùm inſcriptio & ſubſcriptio libelli accuſatorij cum ipsâ talionis pœnâ in uſu eſſe deſierint? *cap.3.num.* 113.114. *& ſeqq.*

XX.

Num accuſator criminis Juramentum quoque calumniæ in litis ingreſſu præſtare teneatur? *cap.* 3. *num.* 121. 122. *& ſeqq.*

XXI.

Quonam tempore accuſatio adulterij fieri poſſit? *cap.*3. *num.* 127.128. *& ſeqq.*

XXII.

Inquiſitio criminis quo ordine fieri debeat? *cap.* 3. *num.* 132. 133. *& ſeqq.*

XXIII.

An Iudex proceſſum Inquiſitionis perperam inſtituens, actione aliquâ teneatur ipſi reo innocenti? *cap.*3.*num.*151. 152. *& ſeqq.*

XXIV

Quæ ſint adulterij indicia, & quibus

bus ea testibus probari dicātur? *cap.* 4 *num.* 3. 4. *&* *seqq. maximè verò num.* 49. 50. *&* *seqq.*

XXV.

Ex osculo impudico, quod mas aliquis & uxor aliena invicem sibi dederūt, an certa & indubitata de commisso adulterio nascatur præsumptio? *cap.* 4. *num.* 23. 24. *&* *seqq.*

XXVI.

An ex literis amatoriis uxori alienæ ab eius Amasio missis & ab ipsâ receptis, violenta de commisso adulterio ducatur præsumptio? *cap.* 4. *num.* 41. *&* *seq.*

XXVII.

Num verisimile adulterij indiciū ex eo quoque petatur, ut tortura adhiberi possit, si quis interdiu, noctuque domum pulchræ uxoris alienæ frequentare soleat, & in ipsam domum ab eâ clàm admittatur? *cap.* 4. *num.* 43. *&* *seqq.*

XXVIII.

Utrùm singulares testes, ut qui sin-

guli de singulis actibus deponunt, ad præstandam per indicia adulterij probationem idonei sint, nec ne? *cap.4. num.83. 84. & seqq.*

XXIX.

An probent testes adulterium, qui simpliciter nullâ redditâ ratione deponunt, se scire quòd Titius & Bertha uxor aliena carnaliter se cognouerint? *cap.4. num.111. & seq.*

XXX.

Quânam pœnâ cœrceatur adulterium, & quæ sit eiusdem vindicta privata & publica? *cap.5. num.1.2.3. & seqq.*

XXXI.

Num uxor adulterium committens privanda sit etiam bonis paraphernalibus, eaque marito innocenti cedant? *cap.5. n.34 & sequentibus.*

# TRACTATUS DE ADULTERIO ET ADULTERIS PARTITIO.

EXpositurus Jura nostra de adulterio & adulteris, certis aliquot capitibus ea concludere, & sub unoquoque capite quæstiones eò pertinentes expedire constitui. Primò autem quid adulterium sit, definiendo & notando ostendam.

*Pòst adulterium quotuplex sit, & quibus modis committatur, exponam. Tum de adulterij accusatione, & inquisitione tractabo. Subiiciam deinde rationem probandi adulterium. Postremò adulterii pœna quæ sit declarabo.*

## CAPUT I.

### *Quid sit adulterium, quæq́ eius notatio.*

ADULTERIUM alij aliter definiunt, sed an rectè & accuratè satis, ex sequentibus patebit. Ego in hæc verba definiendum illud puto: Adulterium est crimen publicum, quo per concubitum viri

1.

cum

eum alienâ fœminâ fœdus conjugale violatur. Hanc definitionem per eius membra ita illustrabo, ut penitus inde cognosci possit, non modò quid adulterium ab alijs criminibus differat, sed & quæ personæ in quas adulterium committatur.

Verbis CRIMEN PUBLICUM, verum & proximum adulterij genus exprimo, atq; hoc genere primùm distinguo adulterium à delicto, aliud propriè delictum est, aliud crimen, ut arguit partim nominis diversitas, quæ etiam rei diversitatem denotat, *l. si idem. 7. C. de codicill.* partim delicti & criminis oppositio *in l. quid sit fugitivus. 17. §. noxas 18* ibi ex delictis, nõ publicis criminibus, *ff. de ædilit. edict. & l. aliud fraus est, 131. in fin.* ibi cui hujus criminis sive delicti *ff. de Verb. Sign.* Vbi quoque Cuiac. & Ioann. Goedd. rectè docent, delicti nomine significari propriè privatum delictum, appellatione verò criminis denotari maleficium publicum. Generaliter tamen delicti nomen acceptum, continet etiam crimen, ut patet ex *l. Manichæos. 53. §. sed nec filios. 6. vers. delicti enim. C. de hæret. & manich.* Maleficij quoque generale nomen similiter crimen complectitur, ut evincitur ex textu *in l. aut facta. 16. §. vlt. ff. de pœn.* Sed ut dixi DELICTI vox ut & MALEFICII

2

3

dictio

4 dictio pertinent propriè ad privatum delictum, ut sunt furtum, rapina, damnum, injuria, & contumelia, uti arguit *Rubr. & tot. tit. ff. de privat. delict. & aliquot Titt. seqq. & l. 1. in princ. l. 4. ff. de obl. & act.* Et aliud propriè delictum esse, aliud crimen, intelligimus quoque ex eo, quòd in Pandectis agitur distinctis locis de privatis delictis, & de criminibus, putà Tit. de privatis delictis & aliquot Titt. seqq. Item tit. de Extraordinarijs criminibus, & tot. tit. de publ. iudic. Quandoque tamen CRIMINIS appellatio impropriè significat delictum, ut in *§. placuit. Inst. de obl. quae ex del. nasc. l. 3. ff. ad SCtum Turpill. l. 1. §. ult. ff. de poen. l. 1. C. si advers. delict.* Interdum etiam MALEFICII nomen strictissimè accipitur pro veneficio. *l. 1 §. 1. l. 3, §. 1. & 2. ff. ad Leg. Corn. de sicar. & tit. Cod. de maleficis & mathemat.*

Quod autem adulterium sit criminis species patet ex *l. de crimine adulterij*, 10. *& l. seq. l. et si crimine adulterij.* 12. *l. si quondam* 15. ibi crimine adulterij. *d. l. quamvis* 30. ibi. adulterij crimen *C. ad L. Iul. de adulter.*

5 Deinde proposito adulterij genere distinguo etiam & separo adulterij crimen, ab extraordinarijs criminibus.

6 Crimen vel publicum est, vel est extraordina-

dinarium *l. 3. ff. de extraord. crim. l. 1. ff. de abigeis. l. 1. l. 2. ff. de Stellionatu. iunct. l. 1. & toto tit. ff. de publ. iud.* Publicum crimen est, quod lege quadam publicum esse jubetur. *l. 4. §. 1.* ibi, volumus esse publicum judicium. *C. de heret. & Manich. & l. 1. de publ. iud.* quodque certam & legitimam pœnam à lege quâdam habet. *l. 2. & 4. t. §. 1. Inst. eod. tit.* Extraordinarium verò crimen dicitur, cuius pœna ex lege non est certa, sed vel Iudicis arbitrio decernitur. *l. 3. ff. expil. hered. l. ult. ff. de priuat. delict. l. interdum 56. §. qui furem. & l. ult. ff. de furt. l. 1. §. 1. ff. de effractor.* vel consuetudine est recepta. *l. 3. §. pœna. ff. Stellionatu.* 7 8

Quòd verò adulterium publicum sit crimen, non extraordinarium disertè arguit textus in *l. 1. ff. de publ. iud.* ubi judicium de adulterio publicis connumeratur judicijs, ut & *in §. item lex Iulia. iunct. §. praeced. Inst. d. t.* unde sequitur quòd & crimen adulterij sit publicum, siquidem in publico judicio crimen versetur. *d. l. 1. in princ. ff. d. t.* quod iure meritoque publicum vocatur crimen, ut arguit quoque textus *in d. l. 4. §. 1.* ibi volumus esse publicum crimen. *C. de heret. & Manich.* 9

Non desunt tamen, qui adulterium non publicis criminibus, sed privatis delictis connumerandum putant, ut sunt Gloss. *in l. 1. in* 10

*verb.*

*verb.* publico judicio. *C. ad L. Iul. de adult.* Iul. Clar. *lib. 5. Sentent. §. Adulterium, num. 4.* ubi addit, sententiam hanc per maiores communiter adprobatam esse. Arumæus quoque *disput.* XXV. *ad præcipuas Pandect. & Cod. leges. thes. 8. edit. poster.* eandem amplecti videtur sententiam. Atqui horum opinio ferenda non est, cùm Iuris authoritas disertè adulterium inter publica referat crimina. *d. l. quamvis. 30. in princ.* ibi inter publica referatur. *C. ad L. Iul. de adult. d. l. 1. ff. de publ. iud. & d. §. item lex Iulia. Inst. d. t.*

11 Non tuetur contrariam opinionem, quòd *in d. l. quamvis. 30 C. d. L. Iul. de adult.* ad accusationem huius criminis admittantur solùm maritus adulteræ, & proximæ, necessariæq; personæ; extranei verò ab eâ procul arceri jubentur; cùm tamẽ accusatio criminis publici cuilibet de populo competat, §. 1. *Inst. de publ. iud. & l. palàm 43. §. Senatus. ff. de rit. nupt. & d. l. 4. §. 1. C. de hæret. & Manich.* Non inquam tuetur ea lex opinionem contrariam: textus enim legis illius accipiendus est de casu, quo maritus & necessariæ personæ accusare præsumunt, quòd si maritus & personæ necessariæ accusationem adulteri negligant, datur potestas accusandi etiam extraneis. *l. 4. §. extraneis. ff. ad L. Iul. de adult. & l. Iure mariti 6.*

*C. d. t.*

*C.d.t.* Atque hoc sensu textum in *d.l.quamvis.* 30. accipiendum censet etiam Gloss. ibidem in verb. proximis, & in verb. ab accusatione, ut & Gloss. *in d. l. 4. in verb.* qui accusare. *ff. ad L. Iul. de adult.* Glossam sequuntur Bald. Salic. & alij *in d. l. quamvis. 30. C. d. t.* tùm etiam Wesemb. *in paratit. ff. eod. t. num.* 11.

12 Non est putandum cum Arumæo *d. disp.* 25 quòd proximè citatæ leges abrogatæ sint per novam *d. l. quamvis. 30. C. d. t.* Cùm enim hæc lex nominatim, & expressè non tollat eas leges, statuendum est, quòd adhuc salvæ sint, per regulã in *l. præcipimus. 32. §. ult. C. de appell. & c. 1. Tit. de Constit. in 6.* Quocirca posterior *l. quamvis*, trahenda est ad priores illas leges, & hæ ad illam, ut omnes salvæ maneant, per text. *in l. non est nouum. 26. ff. de ll.* quod commodissimè fieri potest, si dicamus, novam Constitutionem *d. l. quamvis. 30.* exaudiendam esse de eo solùm casu, quo maritus, & personæ necessariæ adulterij accusationem instituere præsumunt, atque hoc casu ab accusatione extraneos procul expellendos esse.

13 Ratio autem, cur Imp. Constantinus ab accusatione adulterij extraneos arceri velit, triplex ab ipso adducitur; una est, ne temerè cujuis liceat fœdare connubia, fœdatur

con-

connubium, id est, turpitudine notatur matrimonium accusatione adulterij, Altera ratio est, quòd verus dolor maritum, & necessarias, proximasq; personas ad accusandum impellat, non æque verò extraneos. Tertia ratio est hæc, quòd sæpè nonnulli extranei ad accusandum crimen hoc prosiliunt eo fine, ut falsis contumelijs matrimonium deforment, quod facinus cùm in marito & necessariis, proximisque personis non metuatur, meritò præferuntur extraneis.

14 Atque hactenus de genere adulterij vero, proximoque: Dicendum nunc de adulterij formâ, sive specificâ differentiâ, quâ adulterium ab alijs criminibus publicis distinguitur. Ea autē declaratur reliquis propositæ definitionis verbis hisce: QUO PER CONCUBITUM VIRI CUM ALIENA FOEMINA FOEDUS CONIUGALE VIOLATUR. Dico per CONCUBITUM VIRI. Ipse

15 enim concubitus sive actus coeundi & carnalis commixtio hîc requiritur, ut sit adulterium: sola voluntas Iure humano non sufficit. *l. fugitivus. 225. ff. de verb. sign.* Vbi Triphoninus ICtus scribit, quòd adulterium non ex solâ animi propositione, sed assumpto actu intelligatur. Sentit idem Vlp. ICtus *in. l. quod ait, 23. in princ.* ibi in ipsâ turpitudine

filiam

filiam cum adultero deprehendat, item ibi, in ipſis reb. veneris *ff. ad L. Iul. de adult.* Dico a. generaliter VIRI, non dico ſpecialiter MARITI, ut comphehendam quoque marem cœlibem, qui coniux non eſt, ſed vel juvenis, vel viduus, qui cum uxore alienâ carnaliter ſe commiſcet, nam & hic adulterium committit, quando cum alienâ matrefam. concumbit, per text. generalem in *d. l. inter liberas. 6. §. lex ſtuprū ff. ad L. Iul. de adult. d. l. inter ſtuprum. 101. in princ. ff. de verb. ſign.* & tradunt Dd. in *l. 1. C. ad L. Iul. de adult.* Iul. Clar. *lib. 5. ſentent. §. adulteriū. num. 2 verſ. Tertiò inter virum ſolutum, & mulierem nuptam.* Menoch. *lib 2. de arbitr. iud. cent. 5. caſ. 420. num. 106.* ibi, ſive ſolutus ad coniugatum, idem Menoch. *cons. 249. num. 5.* Dico item generaliter CUM ALIENA FŒMINA, non dico ſpecialiter CUM ALIENA VXORE, ut includam quoque concubitum mariti cum fœminâ ſolutâ; Nam & hic coitus eſt adulterium, non quidem Iure Civili, ſed Canonico Iure. 16 17

Civili Iure adulterium duntaxat eſt, quando mas ſive vir aliquis uxorem carnaliter cognoſcit alienam, ſive uxoratus, ſive ſolutus ſit vir ille, non autem eſt adulterium Iure civili, cum uxoratus carnaliter ſe miſcet mulieri ſolutæ, ut apparet ex textu *d. l.* 18

*inter stuprum. 101. in princ. d. l. fugitivum. 225.* ibi, alienam matremfam. corrupit, *ff. de verb. sign. d. l. inter 6. §. lex. stuprum. & l. stuprum 34. §. 1 ff. ad L. Iul. de adult. & l. eum qui. 18. §. 1. C. d. t.* quib. locis omnibus dicitur, quòd adulterium in nuptam committatur, nec distinguitur ibi vir uxoratus sit, vel solutus, modò fœmina sit uxor aliena, idque tradit etiam Gloss. *in d. L. 1. verb.* declarat, *& in d. l. eum qui 18. in verb.* infertur *C. d. t.* tradunt idem communiter Dd. quos sequuntur præter alios Iul. Clar. *in d. §. Adulterium. num. 1.* Ioachim à Beust *tract. de matrimonio. cap. 16.* Roland. à Vall. *cons. 74. num. 1223. & 14. vol. 1.* Hondedæ. *consult. 95. num. 50. vol. 1.* Iacob. Cuiac. *in paratit. Cod. ad L. Iul. de adult. & in Novell. 22. pag. 160.* Ioann. Gœdd. *in d. l. inter stuprum. 101. num. 10. ff. de Verb. sign.* Collegium facultatis Iuridicæ in Academiâ Altorphinâ *cons. 103. vers.* daß aber ferrer/ *pag. 485.* Petr. Heig. *quæst. 29. num. 6. part. 2.* ubi scribit, respiciendum hîc esse ad personam patientem, hoc est fœminam, non agentem, & Vulteius *ad d. §. item lex Iulia de adulteriis. num. 5. Inst. de publ. iud.* Adulterium, ait, Iure civili ex fœminâ æstimamus, non ex viro, & Cuiac. *in paratit. C. d. t. ad L. Iul. de adulter.* In viro, ait, alieno, qui fuerit cum muliere vacuâ, stuprum non adulterium vindicatur. Idque

19

sentiunt

sentiunt etiam quos refert & sequitur Prosper. Farinacius *Tit. de delictis carnis, quaest. 141. numero. 10.* ubi licet, ait, coniugatus accedens ad solutam, non committat adulterium, committit tamen stuprum.

Non desunt tamen, qui etiam Civili Iure adulterium in solutâ fœminâ per uxoratum committi sentiunt, in quorum numero Menoch. *lib. 2. de arbitr. iud. casu 420. n. 116. & seq. cent. 5. & cons. 240. num. 6.* Arnold. de Reyger *in thesauro Iur. in verb. de adulterio & stupro. num. 07.* & alii quos citat Menoch. *d. cons. 240. num. 11.* sed rationes quibus Menoch. suam Sententiam munire allaborat, nihil ipsi patrocinii adferunt. Textus in *l. eum quidam. 18. C. ad Legem Iul. de adulter.* quem citat, est de casu, quo maritus præter suam coniugem, aliam fœminam solutam duxit uxorem, eamque carnaliter cognovit, quod facinus ibi crimen stupri vocatur, non adulterij crimen. Nec movet quod Impp. eâ in lege aiunt, etiam crimen strupi, quamvis enim dictio ETIAM implicet alium casum, non tamen implicat ibi crimẽ adulterij, quasi Impp. dixissent non solùm maritus ille adulterium commisit, sed etiam stuprũ, ut putat Menoch. sed implicat

dictio illa casum, quo maritus cum solutâ muliere concumbit, licet eam non duxerit uxorem.

Quàmvis etiam illud Impp. rescriptum sit de casu, quo mulier illa soluta ignoravit maritum fuisse, cum quo contraxit & concubuit, attamen Menoch. non rectè ex eo deducit, quòd non stuprum, sed adulterium sit, quando uxoratus cum muliere solutâ sciente, se carnaliter commiscet: Argumentum enim à contrario sensu non procedit, cum legibus est contrarium. Euerhard. *in topic. legalib. in loco à contrario sensu num. 4.*

21 Nec est admittenda hîc Menochij sententia de *d. l. inter liberas 6. §. lex stuprum. ff. ad L. Iul. de adult. & d. l. inter stuprum. 101. ff. de Verb. sign.* quando putat, quòd licet Papinianus, & Modestinus ICti citatis locis dicant, quod adulterium in nuptam, stuprum verò in viduam, & virginem committatur, attamen textus illos facilè intelligi posse de non cõiugato, qui non cõiugatam cognoscit: Non inquam admittenda est hæc Menochij opinio, textus n. utroq; loco non distinguit inter marẽ coniugatum, & non conjugatũ, distinguit autem disertè inter nuptam, & non nuptam fœminam, unde haud obscurè intelligi potest, quòd etiam uxoratus cum solutâ non adul-

terium

terium sed stuprum Iure Ciuili committat.

Etsi verò non committatur Civili Jure adulterium in solutâ personâ, etiamsi mas sit uxoratus, Jure tamen Canonico secus est, per text. *in can. nemo vers. quicquid in ea.& versic. nec hoc solum. 32. quæst.* 4. *can. non mœchaberis. can. puto. can. præcepit. can. apud nos. & can. ult. 32. quæst. 5. can. si dubturi. & cc. seqq. 32. quæst. 6.* 12

Existimat verò Petr. Heig. *d. quæst. 29. num. 6. & seqq.* jure etiam Canonico non esse adulterium, sed stuprum solummodò, quando uxoratus cum solutâ concumbit fœminâ: At textus jam citati aliud disertè arguunt, neque verum est, quod ait Heig. textum in *d. can. nemo, quæst.* 4. loqui de stupro, non adulterio, aliud enim testantur verba Canonis illius hæc: Nec viro licet quod mulieri non licet, item hæc verba: quicquid in ea, quæ non sit legitima uxor, commissum fuerit, adulterij crimine damnatur, & denique hæc verba: nec hoc solum est adulterium, cum alienâ peccare coniuge, sed omne, quod non habet potestatem conjugij. 13

Non est cum ipso Heigio canon ille ita exaudiendus, quasi contra Ius civile, D. Ambrosius permittat ibi, uxori quoque de adulterio maritum accusare, quod Iure civili Iu- 14

ſtinianeo ipſi non conceditur, ut patet *ex l. 1. ubi Dd. C. ad L. Iul. de adult.* nihil enim eo in canone de adulterij accuſatione agitur, ſed tantùm exponitur, quòd facinus ſit adulterium.

25 Quia verò inter civile & canonicum Ius diſſidium quoddam eſt de hâc quæſtione, an ſit adulterium, ſi uxoratus cum ſolutâ muliere concumbat, non immeritò dubitari poteſt, quod Ius ſequi debeamus? Nihil autē dubito partes ſequi Iuris Canonici, ut cui rationes aſſiſtunt potiores, cuiusmo-

26 di ſunt, quæ ſeqūtur, Prima hæc eſto: cū uxoratus carnaliter cognoſcit vacuam mulierem ipſa mulier ſoluta ad alienū accedit thorum, eumque violat. Acceſſus a. ad alterius conjugis thorum, & eius violatio eſt adulterium *can. non mœchaberis.* ibi, adulterium facit, qui præter ſuam ad alteram accedit, *cauſ. 32. quæſt. 5. c. 1.* ibi, matrimonio violato. *L. propter. 7* ibi violata ſponſa. *l. ſervi. 25. in princ.* ibi, violatum contubernium. *C. ad L. Iul. de adult.* Idque volunt Dd. omnes, qui adulterium definiunt, quod ſit alterius thori conjugalis violatio, Goffred. & Hoſtiens. *in ſumma de adulterijs. §. 1. num. 1.* Sylveſter Prierius *in ſua ſumma, in verb.* adulterium *n. 1.*

27 Secundò probatur idem & hoc argumento:

Vir

Viri & uxoris una est fides castitatis, unum sacramentum, hoc est promissio inseparabilitatis, & spes una habendæ prolis, *cap. 1. Extr. de sponsal. Auth. c. debitū Extr. de bigamis.* Qui ergò maritus eam non servat fidem, quique coit alienâ cum fœminâ etiam vacuâ, atque ita separat se ab uxore suâ, ac spem habendæ prolis aufert uxori suæ, adulterium committit. Tertiò confert eòdem & hæc ratio; Maritus est principium, & prima ac principalis pars matrimonij contrahendi, ut patet *ex c. si inter virum.* ibi, ego te in meā accipio & ego te accipio in meā. Itē ibi, ego te recipiam in meā, & ego te in meum, *Extr. de sponsal.* Vbi primùm vir, deinde fœmina fidem dat, de contrahendo matrimonio. Maritus ergò recedens à fide uxori datâ, magis adulteratur, quàm uxor quæ à viro per alienum concubitum divertit. Quartò quando inter virum & uxorem non servatur data matrimonij fides, non conjuges, sed adulteri appellantur. *can. apud misericordem. vers. si ergo. 32. quæst. 1.* & Guido Papæ *consf. 159. col. 1. & consf. 153. col. 2.* At quando maritus cum alienâ coit fœminâ etiam vacuâ, non servat matrimonij fidem; ergò adulter appellatur. Quintò maritus & uxor eius, ad paria judicātur, *c. si quis 32. quæst. 1. & can. nemo,* ibi, nec viro licet, quod mulieri

28

29

30

31

non licet, *32. quaest. 4.* ut ergò uxor adulterium committit, quando cum viro alieno soluto concumbit, ita & maritus committit adulterium, quando fœminam solutam carna-
32 liter cognoscit. Sextò maritus, qui carnaliter alienæ se commiscet fœminæ, uxorem propriam coinquinat, infuscat, maculat, & ipsa fit adultera ex viri adulterio, antequam ille pœniteat, textus est *in can. In coniugio, & can. seq.* vers. *similiter. 32. quaest. 1.* Adulterium ergò committit vir, quando cum alienâ coit fœminâ etiam solutâ.

33 Adhæc quòd uxoratus etiam cum fœminâ solutâ committat adulterium, evincitur quoq; ex Iuris Divini authoritate. Matthæi *5. vers. 27. & 28. & cap. 19. vers. 9.* quibus locis præceptum extat generale de non adulterando, proinde tam ad virum quàm uxorem pertinet. Eoque confert maximè illud Pauli, *1. ad Corinth. 7. vers. 4.* vir sui corporis dominus non est, sed uxor: & uxor sui corporis domina non est, sed vir. In Levitico quidem *cap. 20.* & Deuter. *cap. 22.* tùm etiam in Ezechiele *cap. 18.* adulterium cum alienâ uxore prohibetur: sed ex eo non rectè infertur, quòd non sit adulterium, si uxoratus cum
34 fœminâ solutâ concumbit: siquidem aliundè etiam ex sacris literis abundè constet,

quòd

quòd omnis cōcubitus, quo violatur thorus alienus, adulterium sit, *can. lex illa, vers. adulterium verò 36. quæst.* 1. violat autem maritus & suum & alienum, putà uxoris thorum, quando ad alterius, quàm suæ uxoris carnem accedit. *can. non moechaberis. 32. quæst. 6.* ubi ex Isidoro super Exodum hæc referuntur verba: Adulterium facit, qui præter suam ad alteram accedit. Pertinet eodem textus in *can. apud misericordem. vers. publico iudicio.* ibi, quamvis mulieres de matrimonio violato queri velint. *iuncto can. non enim sola*, ibi, thori coniugalis fides. *32. quæst. 1.* & quoties maritus vagæ libidinis ardore succensus, coniugalem posthabet thorum, committit adulterium.

35 Præterea Theologi ferè omnes, sanctæ Scripturæ authoritatem, sacros item Canones sequuti, tradunt, adulterium esse, quoquo modo alienâ carne duorum unitas miscetur, & violatur; ac adulterium definiunt, quod sit coniugalis fidei & integritatis violatio, Augustin. *de bono coniugali cap. 4. & 16.* Alij quoque patres, ut Ambrosius, Chrysostomus, & cæteri, quorum verba leguntur in decretis, sub causa 32. idem sentiunt, scribit idem Wolffgang. Muscul. in septimo decalogi præcepto.

Huc pertinet lacteæ eloquentiæ scriptoris Lactantij illud *lib. 6. Instit. cap. 23.* lex ita duos in unum matrimonium, quod est unum corpus, pari jugo conjungit, ut adulter habeatur, qui compagem corporis in diversa distraxerit.

36 Postremò & Canonistæ omnes, & non pauci Legistæ similiter divinam scripturam, & Canonicam Legislationem amplexantes scribunt, adulterium quoque esse, quãdo conjugatus cum solutâ se carnaliter conjungit. Ex Canonistis sunt Hostiens. *in summa de adulterijs. & stupro. num. 1. vers. hoc quodam scripsit.* Abbas *in c. transmissa, num. 5. Extr. de eo qui cognovit consang. uxoris.* Angelus. Clavasius *in sua summa, in verb.* adulterium. *num. 1.* Sylvester *in summa, verb.* adulterium *num. 1.* Legistæ, qui & hoc casu adulterium committi sentiunt, laudantur præter alios Guidò Papæ *cons. 159.* Castrens. *cons. 403. incip. Hac mulier. lib. 1.* Socin. Iun. *cons. 92. num. 7 lib. 2.* Ioann. Baptista à S. Severino *in l. si qua illustris. num. 47. C. ad SCtum Orphit.* Basilius Monner. *tract. de matrim. cap. 5.* Petr. à Placa *in epitome delictor. cap. 41. num. 35.* Gabriel Palæotus *tract. de nothis & spur. c. 48.* Iul. Clar. *in §. Adulterium. num. 2.* Menoch. *de arbitr. iud. lib. 2. casu 420. n. 107. cent. 5. & cons. 449. num. 6. & seqq.*

*& seqq.* Ioachim. à Beust, *de sponsalib. & matrim. part. 2. sect. 17* Ioann Gœdd. *in l. inter stuprum. tot. in princ. num. ult. & cons. 28. num. 177. vol. ult. consilior. Marpurg.* Atque ita existimantes definiunt adulterium, quòd sit legitimi thori, & fidei coniugalis violatio, sive thorus ille alienus sit, sive proprius.

Sed an Iure etiam novissimo Carolino in Ordin. crim. art. 120 Ius vetus Iustinianeum sit immutatum, & côtra illud difinitum, quòd etiam coniugatus vir adulterium cum solutâ muliere committat, controversum video? Nicola. Vigel. *methodo in Carolina ordin. crimin.* affirmat, quòd sit mutatum, sed Georgius Remus *ad d. artic. §. 1.* negat, negat quoque Theodorus Petreus *in thesaur. controversarum conclusionum, conclus. 95. in addit. sub lit. D.*

At quia verisimile est, Imp. Carolum V. Principem Christianissimum sequi voluisse Ius Divinum, sacros Canones, & Canonistarum sententiam, veriorem judico Vigelij opinationem, maximè propter verba Imp. *in d. art. 120. §.* Item daß es auch gleicherweiß in dem fall so ein Ehweib jren Ehman or die Person / damit sie den Ehbruch vollbracht hât / beklagen will / gehalten werden soll / putâ ut ambo adulter maritus, & adultera mulier pœnâ

logis

legis plectantur, ut ibid. praeced. verba ordinationis Carolinae, oder die Person / damit der Ehebruch 2c. generalia sunt, & comprehendunt non solùm coniugem alienam, sed & mulierem vacuam & solutam. Et quia ex Constitutione Severi & Antonini Impp. *in.l.1.C.ad L. Iul.de adult.* uxor non potuit maritum adulterij reum facere, id autem ei sit permissum eâ Carolinâ Constitutione, *in d. artic.120.* §. Item daß es auch 2c. verisimile est, quòd novissimâ illâ Constitutione abrogatum velit Imp. Iustinianeum Ius, quo cum muliere solutâ maritus non committit adulterium, & receptum sit Divinum, ac Canonicum Ius.

39

40 Est & illud hîc monendum, quòd etiam Iure Württembergico maritus cum fœminâ etiam solutâ adulteriũ committat, quando eam carnaliter cognoscit, ut liquet ex novâ Constitutione Ducis Ludovici de Anno 1586. §. auff den fall. sic & constitutione Augusti Electoris Saxoniae, *part. 4. constit.19.* cautum est, ut & adulterium sit, si uxoratus cum solutâ fœminâ se carnaliter misceat. An autem Iure Civili communi ordinariâ adulterij poenâ plectatur hic adulter, infrâ explicandum est, sub cap. ult

Porrò

Porrò quod in definitione aldulterij generaliter dixi; Cum Aliena Fœmina, intelligendum quoque est non solùm de uxore, sed & sponsâ alienâ; nam & in illâ committitur adulterium, cùm neque matrimonium qualecunque, neque spem matrimonij violare permittatur. *l. si uxor. 13. §. Divus Severus. 4. & l. miles. 11. §. quærebatur. 7. ff. ad L. Iul. de adult. l. propter. 7.* ibi, nisi puella violata sponsa eius fuerit. *C. d. t.* Confirmatur quoque pronunciatũ hoc hâc ratione, quòd in Iure nostro aliâs de uxore dicitur, in sponsâ quoque locum habet, & sponsus mariti Iure utitur. *l. si sponsa. 74. ff. de Iur. dot. l. lex Iulia 4. ff. de fund. dot. l. item apud. 15. §. sponsum 19. ff. de iniur. l. non sine. 5. C. de bon. quæ liber. l. Titio centum. 71. §. Titio genero 3. ff. de condit. & demonstr.* Tiraquel. de ll. connubialib. gl. 2. *num. 1. & seqq.* Confert eodem, quòd quemadmodum propter adulterium matrimonia soluuntur, ita & propter fornicationem soluuntur sponsalia. *c. quemadmodũ ubi Dd. Ext. de Iureiurand.* Mozzius *tract. de nupt. tit. quemadmodum solvantur sponsal. num. 9.* 41

Denique Iuris etiam Divini authoritate munitur hæc sententia, ut quæ sponsam alicuius vocat eius uxorem, eâdemque pœnâ concubitum cum alterius sponsâ punit, quâ 42

con-

concubitum cum alienâ uxore. Deuter. *c. 22. verſ. 23. & ſeq.* Mater quoque Chriſti Salvatoris noſtri cùm eſſet deſponſata Ioſepho, appellatur ab Angelo uxor ipſius. *Math. cap. 1. verſ. 20.* his verbis: Ioſeph filj David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt. Atque huic de ſponsâ pronunciato inhærent Gloſs. & Dd. quos citat, & ſequitur Farinac. *tract. crimin. tit. de delict. carnis, quæſt. 141. num. 31.*

Diſſentit verò Covarruu. *lib. 4. decretal. part. 1. cap. 1. num. 8.* verùm rationes, quib. nititur, non defenſant eius opinionem. Primò argumentatur à definitione adulterij, hoc modo: Concubitus, quo violatur thorus alienus, eſt adulterium. Sed coitus cum ſponsâ alterius non eſt concubitus, quo violetur thorus alienus: Ergò coitus cũ ſponsâ alterius non eſt adulterium. At reſpondendum eſt primò quòd vicioſus ſit hic ſyllogiſmus ratione formæ, cùm aſſumptio ſive minor propoſitio ſit negativa, contra formam figuræ primæ. Deinde quod materiam attinet, reſpondetur ad minorem per inficiationem, nam & ille coitus qui fit cum ſponsâ alterius, violat thorum alienum, non quidem

dem omninò præsentem, sed futurum. Et quia inter sponsum & sponsam conjugium est, conjugium inquam, initiatum. ipsiq; spósus & sponsa conjuges appellãtur. *can. statuim. 27. quæst. 1.* cur non diceretur thorus sponsi violari concubitu cum eius sponsâ? Thorus certè conjugalis non tàm conjunctione corporum in lecto, quàm animorum nexu ipsâque de matrimonio datâ fide æstimatur: quam si violet sponsa per concubitum cum alieno viro, adulterium Iure dicitur committere.

45

Alterum Didaci Covarruvias argumentum illud est: Adulterium committitur solùm cum nuptâ *d. l. inter. 6. §. 1. & l. si uxor. 13. §. si quis uxorem. ff. ad L. Iul. de adult.* Sponsa verò nupta non est; Ergò coitus cum sponsâ alienâ non est aldulterium.

46

Sed argumentatio hæc licet in formâ viciosa non adpareat, in materiâ tamen, & reipsâ vicium residet: Major enim Syllogismi huius falsa est, sicquidẽ adulterium non solùm in nuptâ sed etiam in spósâ committatur, ut textus Iuris antea citati clarissimè ostendunt. Committitur quidem adulterium in nuptâ, ut arguunt textus in confirmationem majoris adducti, at committitur non solùm in nuptâ sed etiam in sponsâ,

sponsâ, ut similiter Iuris authoritate probatum antea fuit, & particula exclusiva SOLUM, quæ in maiore ponitur, non extat in textib. pro ipsâ maiori propositione adductis.

47 Vt autem Covarruvias obtineat opinionem suam, interpretatur textũ in *d. l. si uxor. 13. §. Divi Severus. ff. ad L. Iul. de adult.* interpretatur inquam, textum illum non de adulterio cum sponsâ alterius commisso, sed de atroci iniuriâ, quæ sponso inferatur per concubitum cum eius sponsâ, *per l. item apud Labeonem. 15. §. sponsum quoque, 24. ff. de iniur.* At quia in *d. illa l. si uxor. 13. §. Diui, 3. ff. ad L. Iul. de adult.* ICtus ait, etiam cum sponsâ hoc idem vindicandum, verbis HOC IDEM significatur adulterium, ut cuius meminit ICtus in proximè præcedẽti §. ubi, potest ait, maritus adulterium vindicare, & subijcit cõfestim in *seq. illo §.* etiam in sponsâ hoc idem vindicandum, hoc idẽ scil. adulterium, atq; hunc esse illorũ verborum sensum, evincitur quoq; ex ratione ibidem subiectâ, quæ hæc est: quia neque matrimonium qualecunque, neque spem matrimonij violare permittitur.

Et quòd sponsa alicuius adulterium quoque committat, si, dum est sponsa, alij viro se commisceat, arguit quoq; textus eiusdem legis *§. si minor duodecim annis*, ibi, adulterium commisc-

commiſerit. Eo in §. proponitur caſus, quo quis uxorem duxit fœminam duodecim annis minorem, fœmina iſthæc non eſt uxor eius, à quo ducta fuit, cùm puella annis duodecim minor duci, & uxor eſſe non poſſit. *l.4.ff.de rit.nupt. l. ſancimus. 24. C. de nupt.* eſt tamen viri, à quo ducta fuit, ſponſa, donec iuſtam ætatem adipiſcatur, ut diſertè oſtendit text. *in d.§. ſi minor duodecim annis*, ibi, ſed vel quaſi ſponſa poterit accuſari. 48

Quòd ſi dum adhuc minor & ſponſa eſt, cùm alio viro carnaliter ſe miſceat, adulterium cõmittere dicitur, ut clariſſimè idem ille §. oſtendit. Sponſa igitur alicuius, ſi carnaliter ſe cognoſci patiatur, adulterio ſe polluit.

Idem quoque intelligitur ex textu *in d. l. miles 11. §. quærebatur. ff. ad L. Iul. de adult.* ubi dicitur, quòd ſponſus non poſſit Iure mariti accuſare ſpõnſam ſuam, quòd ipſa admiſerit in ſe alium virum, cui pater eam in matrimonium dederit. 49

Vnde ſequitur, quòd ſaltem Iure ſponſi ipſam de commiſſo adulterio accuſare poſſit; quod indicat etiam textus *in. d. l. ſi uxor. 13. §. ſi minor. 8.* ibi, ſed vel quaſi ſponſa poterit accuſari. *ff. ad L. Iul. de adult.* Covarr. *d. cap. 1. num. 8.*

50 Sed quia Canonico Iure sponsa alia est de præsenti, alia de futuro. *c. sicut Extr. de sponsal.* quæri non meritò potest, quod de sponsâ hîc dicimus alienâ, exaudiendum an sit de sponsâ tantùm de præsenti, vel de sponsâ de futuro? Didac. Covarr. *dict. lib. 4. Decretal. part. 1. cap. 1. num. 8.* Iul. Clar. *lib. 5. sentent. §. adulterium. num. 9.* & Theodorus Petreus *in thesauro controvers. concl. conclus. 91.* in sponsâ solùm alienâ de præsenti, nõ etiam in sponsâ de futuro adulterium committi sentiunt.

51 Verùm quia Ius Civile non agnoscit aliam sponsam, quàm quæ est de futuro. *l. 1. ff. de sponsalibus* & sponsa de præsenti revera uxor est, *l. nuptias, 30. ff. de Reg. Iur.* Textus certè *in d. l. si uxor. 13. §. Divi Severus. 3. ff. ad L. Iul. de adulter.* non de aliâ exaudiri potest sponsâ, quàm quæ est de futuro.

An autem sponsus Iure mariti accusare

52 possit sponsam suã quæ alio cum viro adulterium commisit, explicandũ est infra cap. 5. Vt & sub cap. ult. expedienda controversa illa quæstio, quâ pœnâ plectenda sit sponsa adultera, quâ item adulter, qui rem cum ipsâ habuit.

53 Huius loci & illa est quæstio anceps, an

etiam

etiam adulterium committatur cum uxore alienâ meretrice vulgari? Vlpianus ICtus *in d.l.si uxor. 13. §. sed in eo 2. ff. ad Legem Iul. de adulter.* affirmat, his verbis: & in eâ uxore potest maritus adulterium vindicare, quæ vulgaris fuerit At Diocletianus & Maximianus Impp. *in l. si ea, qua. 22. C. d. tit.* negare videntur, si, aiunt, ea, quæ stupro tibi cognita est, & passim venalem formam exhibuit, ac prostitutam meretricio more vulgò se præbuit, adulterii crimen in eâ cessat. Ex hâc textuum contrarietate contrariæ etiam Interpretum opiniones sunt natæ. Aliqui negativam amplectuntur, nonnullis placet affirmativa, utrosque collegit Farinacius *tract. crim. Tit. de delict. carnal. quæst. 141. numer. 82. & seqq.* sequutus autem Vlpiani ICti authoritatem, subscribit affirmativæ *sub num. 85.* eamque firmat insuper argumento quodam ab absurdo, tùm communi Dd. opinione, consuetudine & hodiernâ praxi receptâ. Argumentum illud hoc est; si mulier publica adultera magis liberè ac luxuriosè vivens, non puniretur ut adultera absurdum illud sequeretur

inde quòd ea vel nullam, vel minorem sustineret pœnam, quàm mulier quæ privatim & occultè se cum alio viro miscet.

54 Pertinet eòdem, quòd reverentia, quæ debetur matrimonio, etiam in uxore meretrice vulgari meritò spectatur: quodq; offensio offertur marito non exigua, etiam in uxore meretrice vulgari, cum quis conjugale ipsius decus expugnat. Hyppol. *in l. 1. n. 30. C. ad L. Iul. de adult.* Quòd item domino fit iniuria, ex quâ ipsi iniuriarum nascitur actio, cum quis servæ ipsius stuprum infert. *l. si stuprum. 25. ff. de iniur.* proindè haud absurdè potest dici, quòd marito comparetur etiam Ius, de adulterio accusandi uxorem, quæ ab alio mare se comprimi passa fuit: Et quod uxor per adulterium non desinit esse uxor. *c. 2. Extr. de divortijs.* Quòd deniq; in eâ quoque uxore aliena probrum intelligitur, quæ turpiter vivit, & vulgò quæstum facit. *l. probrum. 41. in princ. ff. de rit. nupt.*

55

56 Cæterùm Iul. Clar. *lib. 5. sentent. §. adulterium. num. 3.* distinguit inter uxorem, quæ quidem ante matrimonium publica fuit meretrix, sed post contractum matrimonium cessavit à meretriciâ vitâ: & inter eam uxorem, quæ etiam post matrimonium contractum vulgare scortum mansit. Cum illâ adulte-

adulterium committi ſcribit Clarus per text. *in d. l. uxor. 13. §. ſed & in ea. ff. ad L. Iul. de adult.* Cum hâc verò non committi adulterium tradit, per text. *in dict. l. ſi ea quæ C. d. t.* Atque hanc opinionem cõmuniter hodie ſervari, ex aliorum teſtimonio refert. Amplectitur eandem ſententiam Decian. *in tract. crim. lib. 8. cap. 7. num. 14. verſ. neq; mihi obſtat.* Vbi ſcribit, quòd Vlp. ICtus *in d. l. ſi uxor. 13. § ſed & ff. ad L. Iul. de adult.* loquatur de eâ uxore, quæ in præteritum fuit vulgaris. Impp. verò Diocletianus & Maximianus *in l. ſi ea C. d. t.* agant de uxore quæ adhuc meretrix eſt vulgaris.

Atqui iſthæc Julij Clari & Deciani interpretatio non adparet ex collatione textuum illorum, quàmvis olim id etiam exiſtimaverim ego. Aliâ autem ratione textus 57 illi commodiſsimè reduci in concordiam poſſunt, putà ſi cum Weſembec. *in paratit. ff. ad L. Iul. de adult. n. 6. vers. atq; ita intelligamus.* & Berlichio *part. 4. concluſ. pract. concl. 27. n. 85. d. l. ſi. ea. C. d. t.* intelligamus de caſu, quo mas aliquis nõ cum alienâ uxore meretrice vulgari, ſed cum fœminâ quâdam ſolutâ, meretrice publicâ rem exercuit veneream: quem ſenſum ſuadent verba eius legis hæc; ſtupro tibi cognita eſt. Stuprum propriè in ſolutâ

committitur fœminâ, adulterium in uxore alienâ, ut suprâ docui, proindeq; rectè Impp. in citatâ illâ lege dicunt, adulterij crimen cessare in eâ, quæ stupro cognita fuit.

58 Si tamen mas, qui cum fœminâ uxore alienâ vulgari meretrice concubuit, verè ignoravit, quòd alterius esset uxor, liber est ab adulterii crimine. Sine dolo enim non committitur adulterium. *l. pen. ff. ad L. Iul. de adult.* Et ut committatur adulterium certa requiritur scientia, quòd sit uxor, Hostiens. *in summa de adult. Rubr. quis possit accusari. n. 4.* Alberic. *in d. l. si ea. in princ. vers. quod intellige. C. ad L. Iul. de adult. & in l. si adulterium. § 1. §. stuprum. num. 1. ff. d. t.* Salic. *in l. quæ adulterium. 29. post num. 3. vers. & in sciente. C. eod. tit.*

59 An autem præsumatur ignorantia vel scientia isthæc, quæri potest? Regulariter præsumitur ignorantia, nisi scientia probetur *c. præsumitur tit. de Reg. Iur. in 6.* Mascard. *de probat. vol. 2. concl. 879. num. 1. & concl. seq. numer. 3.* Colligitur quoque ignorantia ex conjecturis. *can. si quis à simoniacis. 1. quæst. 1. & c. 1. Extr. de præsumpt.* Mascard. *d. concl. 880. numero 1.*

60 Probatur quoq; ignorantia juramento allegantis eam, ut Iuris textibus, rationibus, & Doctorum authoritatibus prolixè probat Mascard. *de probat. eod. volum. concl. 881. num. 1. & seq.*

*& seq.* Quamvis autem mas ille non puniatur ut adulter, ipsa tamen fœmina uxor aliena meretrix vulgaris adulterii pœnâ digna censetur, ut apparet *ex d. l. si uxor. 13. §. sed & in ea. 2.* ibi in ea uxore. *ff. ad L. Iul. de adult.* & docet Decian. *tract. crim. lib. 8. cap. 7. num. 14. vers. item respondeo.*

61

Est & illud hîc notandum, quòd si maritus non ignoret uxorem suam pudore posito, venalem publicè habere pudicitiam, non potest eam de adulterio accusare, cùm scienti & patienti non fiat injuria. *l. nemo videtur. 188. ff. de Reg. Iur. l. 1. §. usq. adeo. 5 ff. de iniur.* Decian. *dict. cap. 7. num. 14. in fin.* Illud autem ignorare non præsumitur maritus, si notorium sit publicè, quòd uxor eius meretrix, & vulgare habeatur prostibulũ, cùm nescire ea, quæ omnes noverint, supina & crassa sit ignorantia. *l. cedere diem. 13. §. ult. l. lata culpæ. 223. & l. magna. 226. ff. de Reg. iur.* atq; ita in terminis consulvit Ludov. Roman. *cons. 17. n. 20. vol. 1. & cons. 439. num. 23. vol. 3.* quem sequitur Decian. *d. cap. 7. num. 14 in fin.*

62

Quamvis a. maritus non possit de adulterio accusare uxoré, quę corpus suũ viris passim exhibuit sciente marito, ipsa tamẽ ab extraneo de isthoc crimine accusari non prohibetur, ut alios sequutus, docet Farinac. *in prax. crim. Tit. de delictis carnis. quæst. 141. n. 84.*

63

64 Est & illa huius loci quæstio, an committat adulterium, qui se cum uxore alienâ iniustâ carnaliter commiscet? Affirmativa probatur textu *in d.l. si uxor. 13. §. 1. ff. ad L. Iul. de adult.* ubi ICtus Vlp. planè, ait, sive iusta uxor fuit, sive iniusta, accusationem instituere vir poterit, ubi hanc sententiam firmat authoritate Sixti Cæcilij, qui dicit, quòd Lex Julia de adulteriis ad omnia matrimonia pertineat.

65 Sed huic conclusioni obloqui videtur text. *in d.l. si uxor. 13. §. sed etsi ea sit mulier. 4. ff. d. t.* cuius verba hæc sunt: etsi ea sit mulier, cum quâ incestum commissum est: vel ea, quæ quamvis uxoris animo haberetur, uxor tamen esse non potest, dicendum est, Jure mariti accusare eam non posse. At nulla inter textus illos rectè consideratos pugna adparet, nec ea præsumenda est, cùm ambo eiusdem sint authoris Vlpiani ICti, & quidem sub unius eiusdemq; legis amplexu. Intelligendus autem ipse ICtus posteriori illo loco de eâ muliere, cum quâ per matrimonium incestus est commissus, quævè uxor iniusta est, propter omissam nuptiarum solennitatem, vel parentum authoritatem, Wesemb. *in paratit. ff. h. t. num. 5.* & Cuiac. *lib. 6. obs. cap. 16.*

Estque

66 Estque hoc speciale in matrimonio incesto, & matrimonio iniusto ratione intermissi consensus parentum, vel ritus nuptiarum, speciale inquam id est, quòd maritus eiusmodi uxorem suam Jure mariti accusare non potest, ut sentit Cuiac. *d. lib. 6. observat. cap. 16.* Cum uxore verò alienâ injustâ aliâ ratione cõmittitur quoque adulterium, & potest uxorem maritus de adulterio accusare etiam jure mariti, per text. *in d. l. si uxor. 13. §. 1. ff. ad L. Iul. de adult.* nam injusta uxor est quoque uxor ait Cuiac. *dict. loco.*

67 Constat ergò ex *d. l. si uxor. 13. §. 1. & d. §. sed etsi ea sit. ff. d. t.* quòd adulterium committatur quoque in alienâ uxore injustâ, sive injusta sit ratione incestus, omissivè ritus nuptialis, sive sit iniusta ratione alterius cuiusdam impedimenti: id quod volunt etiam Gloss. *in c. plerumque 4. in verb.* Non valebit. *Extr. de donat. inter vir. & uxor.* Bart. *in d. l. si uxor 13. §. 1. num. 3. ff. ad L. Iul. de adult.* Ludov. à Peguera. *decis. 93. num. 4.* & alii, quos citat & sequitur Farinac. *dict. tit. de delict. carn. quæst. 142. num. 16.*

68 Non obstat quòd injusta uxor est, quæ in matrimonio injusto & nullo viuit, & quod nullum est, effectum producere potest nullum, proindeque non videatur adulterium

committi cum alienâ uxore injustâ, non inquam, id obstat: prædicta enim conclusio de uxore injustâ, quòd in illâ quoq; adulterium comittatur, procedit in uxore, quæ nondum per Iudicis sententiam injusta declarata est uxor, cùm matrimonium censeatur justum, & justa uxor, donec Iudicis sententiâ declaratum fuerit matrimonium nullũ, & uxor injusta. Quòd si post Iudicis declaratoriã sententiam illam aliquis cum ipsâ quondã uxore concubuerit, non committit adulterium, cùm amplius non sit uxor aliena.

69 Dico postremò in definitione, Foedus Conivgale Violatvr, quib. verbis potissima significatur nota, quâ discriminatur adulteriũ à quovis alio crimine publico. Et quòd per adulterium violetur fœdus conjugale, arguunt disertè Iuris textus *in. l. 1.* ibi, matrimonio violato. *l. propter. 7.* ibi, violatâ spõsâ. *C. ad L. Iul. de adult. iunct. textu in can. non mœchaberis.* ibi, præter matrimonij fœdera. *32 quæst 6.* Verba autem, Foedus Conivgale Violatvr, non ita exaudienda sunt, quasi ipsa fœderis coniugalis violatio sola adulterium faciat, potest enim coniugale fœdus violari etiam per necem alterius coniugis, quare verba isthæc conjungenda sunt cum aliis propositæ definitionis verbis, Per

Con-

CONCVBITVM VIRI CUM ALIENA FOEMINA. Quando per eiusmodi concubitum fœdus coniugale violatur, ſcelus illud adulterium dicitur.

70 Explicatâ hactenus adulterii definitione noſtrâ, eiusq; membris ſingulis declaratis, inſpiciendæ nobis etiam ſunt, & conſiderandæ aliorum Authorum definitiones adulterii. Hoſtiens. *in ſumma de adulteriis*, definit adulterium in hæc verba: Adulterium eſt alieni thori violatio: quam definitionem adprobant quoque Proſper. Farin. *in prax. crim. tit. de delictis carnis. quaſt. 141. num. 1.* Weſemb. item *in paratit. ff. ad L. Iul. de adult. n. 4.* Tùm & Dñs. Collega Harpprecht. *ad §. item Lex Iulia de adulteriis. num. 5. Inſt. Tit. de publ. iud. & theſ. 1. diſp. 21. part. 2. Diſp. ad Inſtit. Iuſtinianeas.*

71 Verùm definitio hæc triplici laborat vicio, Primò caret proprio, proximoque genere, Violatio enim non eſt proprium adulterii genus, ſed crimen publicum, ut ſupra perſpicuè oſtendi, quod genus verum agnoſcit quoque Georg. Euerhardi *conſ. 351. numer. 59. vol 1. conſiliorum.* Violatio autem cum omnibus delictis privatis & publicis communis eſt, Deinde thorus alienus violatur non ſolùm per adulterium,

ſed

sed & per cædem coniugis; ut quando mari-
72 tus, vel uxor ab aliquo occiditur. Tertiò per adulterium violatur non solùm alienus, sed & proprius thorus; ut cum maritus se carnaliter commiscet cum fœminâ quâdam solutâ: nam & illa carnis commixtio adulterium est, ut suprà docui, concubitus tamen ille etiam proprii thori violatio est; id quod agnoscit quoque Wesemb. *in paratit. ff. ad L. Iul. de adult. num.* 4. ibi, violatio thori alieni, nonnumque etiam proprii.

73 Alii definiunt adulterium hoc modo: Adulteriũ est illicitus coitus cum uxore, spõsâvè alienâ Ita definit Azo *in summa ad L. Iul. de adult. num.* 2. Azonem sequuntur alii, quorum meminit Farinac. *dict. quæst.* 141. *num.* 1. At neque hæc definitio perfecta dici potest; tùm quia verba, ILLICITUS COITUS, non præstant integrum genus adulterii. Adulterium est ex eo maleficii genere, quod dicitur crimen publicum, ut supra ostendi *ex l. 1. ff. de publ. iud. & §. publica autem. iuncto §. seq. Inst. d. t.* Per hoc igitur genus definiendum est adulterium, nõ per illicitum coitum. Tùm quia illicitus coitus non tàm genus est, quàm pars formę adulterii, quâ adulterium distinguitur ab aliis criminib. publicis: Pars inquam, formæ est adulterii, non integra forma, cùm & stuprum,

ſtuprum, itemque Sodomia ſit coitus illicitus: quæ maleficia ſub eodem continentur genere, crimine ſcil. publico: Tùm poſtremò, quia non ſolùm eſt adulterium, quando quis cum alienâ vel coniuge vel ſponsâ coit, ſed eſt quoque adulterium Canonico Iure, cum maritus aliquis concumbit cum muliere, quæ neque uxor, neque ſponſa aliena eſt, ut oſtendi ſupra; Idque ſentit etiam Weſemb. *in paratit. ff. dict. tit. ad L. Iul. de adulter. num. 4. verſ. poteſt. etiam*, ibi, cum alterius conjuge, tàm viro, quàm fœminâ.

Aliæ aliorum definitiones adulterii veræ, propriæq; an ſint, ex jam dictis cognoſci facilè poteſt.

74 Etymologia ſive notatio adulterii à Dd. hæc traditur, quòd adulterium dicatur, quaſi tranſitus ſiue acceſſus ad alterius thorum, Azo *in ſumma de adulteriis, num. 2.* Hoſtiens. *in eadem ſumma, §. quid ſit adulterium, n. 1. verſ. & dicitur adulterium*, Roland. à Valle *conſ. 74. num. 13. vol 1.* Weſemb. *in paratit. ff. ad L. Iul. de adult. num. 3.* Menoch. *conſ. 249. num. 1. lib. 3.* Farinac. *d. quæſt. 141. num. 2.* Atque hæc notatio mihi non omninò diſplicet, cùm & illi quadret adulterio, quod maritus cum vacuâ ſive ſolutâ committit fœminâ; quippe cùm ea quoque fœmina ad alienum accedat

dat thorum. Neq; improbanda eſt hæc notatio ex eo, quòd adulterium non ſcribitur per th, nam vox thorus promiſcuè vel cum h. vel ſine h. pingi ſolet.

75 Elegantior tamen & magis congrua hæc mihi videtur notatio, ſive Etymologia adulterii, ſi dicamus adulterium vocari, quaſi ad alterum, ſive ad alteram acceſſio, ſiquidem maritus aliquis quando libidinis explendæ causâ ad alteram accedit mulierem, aut mulier, quæ uxor eſt, ad alterum accedit marem, adulterium committat, Cuiac. quoque *in l. 1. §. 1. ff. ad L. Iul. de adult.* adulterium dici putat, quòd ſit conceptio partus ex altero.

76 Inepta & fœda adulterij etymologia ſive notatio, quam Bermondus Choverovius *in comment. ad Rubr. de adulterio, num. 1.* tradit, quòd adulterium dicatur, quaſi alienum uterum terens. Et quia etymologia hæc incidit etiam in ſtuprum, meritò & hâc ratione reiicienda eſt: quamvis eam neque Menoch. *d. conſ. 249. num. 2.* neque Farinac. *d. quaſt. 141. num. 2.* reijciat.

CAP. II.

# CAPUT II.

## *Quotuplex sit Adulterium, & quibus modis illud committatur:*

ADulterium aliud verum eſt, aliud quaſi adulterium, ut arguit text. *in l. qui domum 8. in princ.* ibi, quaſi adulter punitur, *& in l. ſi quis adulterium. 33. §. ult.* ibi, quaſi adultera punitur, *ff. ad L. Iul. de adulter. & in l. auxilium. 37. §. 1. verſ. dixi, nec ſi quid,* ibi, quæ pro adulterio eadem lex punit. *ff. de minoribus.* 1

Verum adulterium illud eſt, quod præcedenti capite primo tùm definiendo, tùm notando declaravi diligenter. Illud autem ex Dd. ſententiâ tribus committitur modis, quibus inſuper addi poteſt modus quartus. Primus modus eſt, quando vir coniugatus 2

cum

cum uxore alienâ venereum exercet concubitum, Et hoc adulterium Dd. duplex esse dicunt, & duplicatum rectè vocant adulterium, siquidem vir coniugatus & proprium, & alienum violet thorum: uxor item aliena & suum, & alienum contaminet thorum; Iul. Clar. *libr.5. sentent. §. adulterium num. 2.* Menoch. *d.cons.249. num. 3.* Farinac. *de delict. carn. quaest. 141. Tit. 16. n. 78.* Petr. Heig. *quaest. 29. n. 22. part. 2.* Berlich. *concl. 27. num. 7. 103. 106.*

3 Saxones vocant Ober Hurerey. Gloss. lib. 2 Landr. art. 13 in verb. Und die in Oberhurerey begriffen werden / & *lib. consultationum Saxonicarum part. 4. quaest. 9. num. 1. ibi,* wo ein Mann der ein Ehweib hat / mit einem Weib / so auch Ehlich ist / die Eh bricht / so würde der Mann wegen der Oberhurerey mit dem Schwerdt gerichtet / etc. Berlich. *d. concl. 27. n. 7. & 23. part. 4.* Arithmaeus *lib. disput. de privat. & publ. delictis, disput. 9. thes. 1. in fundamentis.*

4 Alter modus, quo adulterium committitur, est, quando vir coniugatus carnaliter cognoscit mulierem vacuam, sive solutam, Iul. Clar. *in d. §. adulterium. num. 2.* Menoch. *d. cons. 249. num. 3.* Farinac. *de delict. carnis, quaest. 141. Tit. 16. num. 78.* Iure licet Civili horum concubitus non sit adulterium; ut contra Menochium ostendi capite praecedente

dente, est tamen propriè & reverâ adulterium Iure Canonico, ut sub eodem capite primo docui. Et quia maritus cum uxore alienâ concumbens, duplex committere dicitur adulterium, ut supra ex Dd. sententiâ retuli, non video quid vetet, cur maritus rectè censeatur adulterium committere simplex, quando cum muliere solutâ concumbit, maximè Canonico Iure, quamvis Petr. Heig. *d. quaest. 29.* secus sentiat, etiam Canonico Iure contra communem Dd. opinionem, sed perperam, ut planum feci cap. praecedente. Quando autem Doctores tradunt, hoc secũdo modo propriè adulterium non committi, Guido Papae. *cons. 153. col. 2.* Roland. à Valle *cons. 74. numero 13. & 21. lib. 1.* Exaudiendi sunt de Civili, non Canonico Iure, id quod etiam sentire videtur Clar. d. §. *adulterium. num. 2.*

5 Tertius modus, quo committitur adulterium hic est, si vir solutus ad uxorem accedat alienam, & cum illâ se carnaliter commisceat, Iul. Clar. Menoch. & Farinac. *d. locis.*

6 Et quòd facinus hoc propriè adulterium sit, Civili & Canonico Iure dubitandum non est, siquidem textus hanc in sententiam plani & manifesti extant, quos suprà cap. praecedente adduxi, idque sentiunt etiam

 Dd. com-

Dd. communiter; inter quos etiam Clar. *in d.§.adulterium. num. 2.* Hondedæus *consult. 95. num. 50. & seq. vol. 1.* Herman. Vulteius *Cons. 15. num. 208. vol 1. consiliorum Marpurg.* & Ioann. Goedd. *cons. 28. num. 157. & 177. vol 1. Consiliorum Marpurg.*

7 Quartus modus committendi adulterium, quem addo tribus iam adductis, ille est, quando aliquis cum alienâ sponsâ concumbit, vel cum meretrice vulgari coniuge alienâ se carnaliter commiscet. Quem modum ideò adijciendum puto, quod de pœnâ huius adulterii dubitatur, an eadem sit cum adulterii pœnâ cæterorum modorum, ut cap. ult. exponam.

8 Quasi adulterium est crimen, quod in personâ delinquentis verum quidem adulterium non est, pro adulterio tamen authoritate Iuris habetur. *d. l. qui domum. 8. in princ.* ibi, quasi adulter punitur. & *d. l. si quis adulterium. 31. §. ult.* ibi, quasi adultera punitur. *ff. ad L. Iul. de adult. iuncta l. auxilium. 37. §. 1. vers. dixi, nec si quid,* ibi, quæ pro adulterio eadem lex punit; *ff. de minoribus.*

9 Exemplum quasi adulterii est, si quis sciens mulierem adulterii damnatam duxerit uxorem, *d. l. auxilium. 37. §. 1. ff. de minoribus l. mariti. 29. §. 1. ff. ad L. Iul. de adult.* Quæ

leges

leges non sunt correctæ per Novell. *132. cap. 10. si quando. vers. adulteram verò. & Auth. sed hodie. C. ad L. Iul. de adult.* ut post alios, quos citat, sentit Farinac. *de delict. carnu. quæst. 144. num. 86.* tùm etiam Petr. Barbosa *ad l. 1. part. 1. in princ. num. 102. in fin. & num. 103. in princ. ff. solut. matrim.*

Est item quasi adulterium si quis uxorem suam in adulterio deprehensam non dimiserit, *d. l. auxiliu. 37. §. 1. ff. de minorib. l. 2. §. lenocinij. l. miles. 11. §. ult. l. mariti. 29. in princ. ff. ad l. Iul. de adult.* Si quis item uxorem suam adulterii damnatam, sed vitâ salvam reduxerit. *l. castitati. 9. & l. fine metu. 17. vers. si enim. C. d. t.* Si tamen maritus uxorem suam adulteram de adulterio damnatam, & ex condemnatione in monasterium detrusam intra biennium receperit, non comittit hoc quasi adulterium, cùm ex Iustiniani Cõstitutione novâ id ei permissum sit d. Novell. *134. cap. 10. si quando. vers. adultera verò, & d. Auth. sed hodiè C. ad L. Iul. de adult.* quod autem fit Iure permittente, pœnam non meretur. *l. 4. C. d. t.* 10

Est & illud quasi adulterii exemplum, si quis ex adulterio uxoris precium acceperit. *d. l. qui domum. 8. in princ. & d. l. si quis. 33. §. ult. ff. d. t.* 11

Adducta hæc exempla continent quidem lenocinii speciem quandam, ut arguit text. *in l. 2. §. lenocinij. ff. eod. t. l. 2. l. castitati. 9. C. d. t.*

& latè tradit Farinacius. *Tit. de delict. carnis. quæst. 144. tit. 16. numero 84. & numero seq.* At quia Iuris authoritas facinus eiusmodi aliquod appellat quasi adulterium, *d. l. qui domum. 8. in princ. & d. l. si quis adulterium. 33. §. ult. ff. ad Legem Iul. de adulter.* & pro adulterio agnoscit *d. l. auxilium. 37. §. 1. ff. de minoribus.* eique pœnam adulterij constituit. *d. l. 2. §. lenocinij. 2. d. l. qui domum. 8. in princ.* ibi, quasi adulter punitur. *ff. ad Legem Iul. de adult.* non est tale quoddam crimen à societate specierum adulterij omninò segregandum.

## Caput III.

# CAPUT III.

## De Accusatione & inquisitione adulterij.

IN adulterij accusatione spectamus tùm qui adulterij reos, reasque accusare possint, tùm corâm quo Iudice, quoque loco, & ordine accusatio hæc institui queat: Tùm quæ forma sit accusationis huius, & intra quod tempus aliquis possit hanc instituere accusationem. 1

Accusare potest adulterij reos, itemq; reas quilibet de populo, cùm adulterij crimen sit publicum. *l. 1. ff. de publ. iud. & §. item lex Iulia. iuncto §. praeced. Inst. d. t.* ad cuius accusationem quilibet de populo admittitur. *§. 1. Inst. d. t. l. palàm. 43. §. senatus. ff. de rit. nupt. l. 4. §. 1. C. de haeret. & Manich. & l. quamvis. 30. in princ. C. ad L. Iul. de adulter.* Si tamen adsit maritus adulteræ, aut coniunctæ, proximæque personæ adsint, putà pater, frater, patruus, auuncu- 2

 lus,

lus, tunc hi extraneis præferuntur, cùm maritus genitalis thori iustus sit vindex, & necessarios proximosque verus dolor ad accusandum impellat, *d. l. quamvis. 30. C. d. t.* Maritus autem patri præfertur, cùm ille propensiore irâ, & maiori dolore credatur accusationem executurus, *l. 2. §. si simul. 8. ff. d. t.* Post maritum & patrem, si illi accusare negligant, admittuntur cæteri necessarij *d. l. quamvis. 30. in princ. C. eod. tit.* & inter necessarios maximè ille admittitur, quem Judex accusatorem iustiorem constituerit, *d. l. 2. §. ult. ff. eod. tit.*

4

5 Cæterùm quò minus post maritum & patrem admittantur cæteræ necessariæ, proximæque personæ, obstare videtur text. *in d. l. 4. §. extraneis. ff. ad L. Iul. de adult.* ubi ICtus Vlpian. post maritum & patrem accusandi facultatem extraneis concedi tradit.

6 At sciendum est, quòd extranei pandectarũ Iure hâc in materiâ appellentur omnes præter maritum & patrem, uti arguit text. *in d. l. 2. §. marito. 1. §. si simul. 8. & §. seq. l. 3. & d. l. 4. §. extraneis. ff. d. tit.* Iure autem Codicis ex Constantini Imp. lege extraneorum appellationi eximuntur non solùm maritus & pater adulteræ, sed & eius frater, patruus, avunculus, *d. l. quamvis 30. C. eod. tit.*

7 Quando autem desunt necessariæ, proximæq;

mæq; personæ, aut illæ accusare nolunt, admittuntur etiam extranei. Est enim adulterium ut dixi crimen publicum, ad cuius accusationẽ quilibet de populo admittitur, proinde admittuntur quoq; personæ extraneæ. Gloss. *in l. 4. in verb.* qui accusare. *ff. h. t. & in d. l. quamvis. 30.* ubi, Bart. Salic. & Azo *C. eod. tit.*

Sed obloqui videtur ꝓnunciato huic textus *in d. l. quamvis 30. vers. extraneos. C eod. tit.* quo quidam moti arbitrantur, hodie extraneos nunquam admitti ad accusationẽ hanc, quorum aliquos citavi suprà cap. 1. & plures recenset Farin. *tract. de delict. carnis quæst. 140. n. 36.* Verùm quo sensu accipiendus sit textus ille, ostendi suprà d. cap. 1. hoc nimirũ, quando nõ extant necessariæ, proximæq; personæ, aut si extãt, accusare tamẽ nolunt, ut post Gloss. & alios sentit etiam Farinac. *dict. quæst. 140. n. 37* Wesemb. verò *in parat. ff. tit. ad L. Iul. de adult. n. 10.* alio sensu accipit textũ, *in d. l. quamvis. 30, vers. extraneos autẽ.* ubi scribit, quòd Constãtinus Imp. extraneos ab eâ tantũ accusatione excludere voluerit, quæ sit Iure mariti, quam propinqorib. etiã concedi ait. Atqui accusationem adulterij, quæ propinquiorib. conceditur, concedi ipsis Iure mariti nusquam legi autumo. Maritus Iure mariti, & Iure viri accusare dicitur uxorẽ adulterã & adulterum. *d. l. 2. §. 1. l. inter 6. §. ult.* ibi Iure viri,

*l. si uxor. 13. in princ.* ibi, Iure quidem mariti. *& § si minor. 8.* ibi, poterit Iure viri accusari. *l. ex cuius. 14. §. ult.* ibi, Iure mariti. *ff. dict. tit.* proximas, necessariasque personas accusationē adulterij Iure mariti instituere nusquam credo legitur. Aliud Ius est mariti sive viri in adulterij accusatione, aliud item necessariarum personarum. Necessarijs personis jus non est accusandi adulterium, quando maritus adest, & accusare intendit, ut antea ostendi, non ergò idem Ius est ipsis cum marito; alioqui simul & unâ accusare possent adulterum maritus, aliæque necessariæ personæ. Et quia maritus conjugis adulteræ accusare dicitur Iure mariti sive viri Iure, & extranei accusare adulterium dicuntur Iure extranei. *d. l. si uxor. 13. in princ.* ibi Iure tamen extranei, & *§. sed et si 4.* ibi Iure mariti accusare eam non posse, Iure extranei posse. & *d. l. si maritus. 15. §. Lex Iulia,* ibi, Iure extranei. *ff. ad L. Iul. de adult.* Consequens ei est, patrem Iure patris, fratrem Iure fratris, patruum & avunculum Iure patrui, avunculi Iure accusare adulterium, non Iure mariti. Atque hæc sententia hoc ipso quoq; confirmatur, quòd licet sponsus non possit Iure mariti accusare sponsam suam adulteram, Iure tamen sponsi id facere potest *d. l. si uxor. 13. §. si minor. 8. ff.*

*ad L.*

*ad L. Iul. de adult.* Poteſt ergò pater Iure patris, non Iure mariti accuſare filiæ ſuæ adulterum, & alius aliquis neceſſarius poteſt Iure neceſſitudinis, nō Iure mariti accuſare adulterum agnatæ ſuæ.

11 Eſt & illud hîc notandum quòd in Franciâ ſolus maritus dum ille vivit, adulterium accuſat, ut & ſolus ſponſus de præſenti, non alius aliquis, ita ut nec ex officio adverſus adulteram vel adulterum procedere queat, ut tradit Petr. Barboſa ad *l. 1. part. 1. in princ. num. 112. ff. ſolut. matrim.* Item quoque videndus *num. 118.* ibidem.

12 Eſt autem Iure mariti, Iure patris, jure neceſſitudinis accuſare adulterum & adulteram, Ius aliquod præcipuum, quo quis in accuſatione adulterij alijs intra certum tempus præfertur, *d. l. 2. §. pen. l. 4. §. pen. & ult. ff. ad L. Iul. de adult. d. l. quamvis. in princ. C. eod. tit.* Intra quod autem tempus Iure præcipuo prædictæ perſonæ accuſare poſſint, dicetur infra eodem hoc capite.

13 Etſi verò extraneis quoque accuſandi poteſtas concedatur, quando deſunt, qui Iure præcipuo factitare accuſationem parati ſunt, attamen minor 25. annis ad adulterij accuſationem non admittitur. *l. ſi maritus. 15. §. lex Iulia. 6.* ubi, Bart. & alij. *ff. ad L. Iul. de adult.*

quamvis aliás criminis accusatio minori non denegetur, ut argumento à contrario *sensu* citatæ modò legis sentit Azo *ad Rubr. Cod. qui accus. poss.* quem refert & sequitur Wesemb. *in paratit. ff. tit. de accus. n. 9.* modò tamen ipsi minori accusare volenti curator adjungatur. *l. clarum. 4. C. de authorit. præstanda.*

14 Maritus autem minor 25. annis suum accusandq vindicare matrimonium non prohibetur, *d. l. si maritus 15. §. lex Iulia. ff. ad L. Iul. de adult.* etiamsi filiusfam. sit, & pater ejus dissentiat. *l. inter. 6. §. filiusfam. ff. d. t.*

15 Et licet maritus uxorem in matrimonio retentam accusare de adulterio non possit Iure Codicis, *l. crimen adulterij. 11. C ad L. Iul. de*

16 *adult.* Nec extraneus constante matrimonio crimẽ adulterij alterius uxori inferre queat. *l. miles 11. §. volenti. & l. constante. 26. ff. d. tit.* No-

17 vellarum tamẽ Iure marito id facere permittitur. Novell. *117. cap 8. vers. si de adulterio, Auth. sed novo. C. h. t.*

18 Fœmina quoq; licet Iure Iustinianeo si velit de matrimonio suo violato ...

satione adulterii arcea...

*dult.* Berlic...

alic...

19 m...

a...

richts Ordnung Kayser Carls deß fünfften artic. 120. Idq; alios sequutus sentit etiam Berlich. *conclus. 27. num. ult. part. 4. pract. conclus.*

Altera de accusatione adulterij inspectio est, ut dixi, de Iudice coram quo accusatio hæc institui potest, item de loco, & ordine accusationis huius.

Iudicem quod attinet, dispiciendum est, an civiliter de adulterio ad thori separationem, & amissionem allatæ dotis, & alterius rei agatur, an verò agatur criminaliter ad pœnã infligendam. Casu priori causa adulterii, & eius cognitio ad iudicem spectat Ecclesiasticum, *c. porrò. & c. seq. c. ex literis. 5. & c. seq Extr. de divortiis. c. 2. c. intelleximus. 6. & c. ult. Extr de adult. & stupro. cap. veniens. 13. vers. mandamus,* ibi, Iudicio Ecclesiæ fuerit separata. *& c. seq. c. cum in Apostolica. Extr. de sponsal. c. accedentib. 12. Extr. de excessib. P*[illegible]*m. can. multorum. 35. quæst. 6.* Didac. [illegible] *pitom. lib. 4. decretal. Tit. de sponsal* [illegible] *cto. n. 8. & cap. 8. §. Duodecimo. nu*[illegible] *zius. de matrimo*[illegible]

20.

[illegible]

thori separatione propter adulterium, ad solum Ecclesiasticum pertineat Iudicem.

21 Casu verò posteriori, quando criminaliter ad pœnam agitur, causa adulterij, & cognitio ipsius est mixti fori, & ad utrumque pertinet Iudicem tàm Ecclesiasticum etiam quoad laicos, quàm secularem Iudicem, ita ut hîc præventio locum habeat. De Iudice Ecclesiastico est text. *in c. 1. Extr. de offic. iud. ordin.* De iudice seculari dubitandum non est propter text. *in c. cum sit generale. Extr. de foro compet.* maximè cùm de Iudice utroque textus extat. *in c. Tua. 5. Extr. de procurat.* Atque ita post Alciat. *in c. 1. num. 18. Ext. de off. & potest. Iud. ordin.* Didac. Covarr. *d. tit. de sponsalib. part. 2. cap. 7. §. sexto. num. ult.* Iul. Clar. *in pract. crimin. quæst. 37. num. 3.* sentit quoque Barbosa *in l. 2. part. 1. in princ. num. 139. & seq. ff. solut. matrim.* & Prosper. Farinac. *d. tit. de inquisit. n. 130 & d. tit. de delict. carnal. quæst. 140. num. 42.*

22 Non incommodè hoc loco quæri potest, An maritus si contra uxorem, vel uxor contra maritum de adulterio egerit civiliter ad thori separationem, & dotis ac donationis propter nuptias amissionem, possit eandem postea criminaliter de adulterio accusare? Negativa propior veritati videtur, hâc ratione, quòd actio illa civilis ad vindictam, injuriæ ma-

riæ marito ab uxore adultera illatæ tendit, *l.miles.11.§.socer.3.ff.ad L.Iul. de adult.* Ancharan. *in c.tua.num.4. Extr. de procurat.* Barbosa *ad dict. l. 2.part. 1.in princ.num. 127. & seq.ff.solut.matrim.* Cùm ergò ad vindictam pertineat etiam criminalis accusatio adulterij, non potest maritus post civilem de adulterio actionem, etiam criminaliter uxorem accusare; Quando enim utraque actio ad vindictam tendit, tunc unâ electâ, ad aliam redire quis non potest. *l.quod 6.in fin. & seq. l. Prætor. edinit. 7.§.si dicatur.ff. de injur.* Bart. *in l.2. §.1. num.3 .ff.vi bonor. rapt.* Panorm. *in c.de his n.6. Extr.de accusat.* Boer. *decis. 289.num.6.* Didac. Covarr. *lib.2.variar. resol.cap. 10. num. 1. ad fin.* Confert huc, quòd si maritus primùm contra uxorem egerit actione de moribus, postea eam criminaliter accusare non potest, *l. unic. vers. & cum,* ibi, excepta sit causa de moribus *Tit.16.* victum civiliter, agere criminaliter posse. *C.Theodos. lib. 9.* Adhæc si socer accusaverit nurum suam de adulterio criminaliter, non potest accusatione desertâ, contra eam postea civiliter de dote amissâ experiri. *d.l miles.11.§.socer. 3. ff. ad L. Iul. de adult.* Ergò à fortiori, qui prius egit civiliter contra uxorem de adulterio, non poterit postea eandem de adulterio accusare crimina-

23

minaliter. Idq; sentit etiam Ancharan. *n.6. &* Panorm. *n.5. in d. cap. tua. Extr. de procuratorib.* & Petr. Barbosa *in d.l.2. part. 1. in princ. n.138. & seq. ff. solut. matrim.*

24 Non impedit conclusionem hanc regula *l. unic. C. quando ciuil. actio crim. non praiud.* Vbi disponitur; quòd quis possit agere civiliter pro unâ causâ, & postea pro eâdē agere criminaliter, Isthæc enim regula vitiatur, & officium suum perdit, quando actio civilis & criminalis ad vindictam pertinent, ut antea ostendi.

25 Moueri hoc loco & illa potest quæstio, cùm maritus de adulterii accusatione criminali non possit cum uxore suâ transigere, per text. *in l. transigere. 18. C. de transact. l. de crimine. 10. C. ad l. Iul. de adult. l. miles. 11. in princ. ff. d. t.* an factâ illâ transactione, accusare uxorem de adulterio possit? Negat Bart. *in d. l. transigere. num.13. C. de transact. & in d. l. si maritus. 25. §. si negaverit. ff. ad L. Iul. de adult.* & Donell. *ad d. l. transigere. num. 4.* Ex Cyno tamen *in d. l. transigere, in septima oppositione*, distinguendum hîc videtur inter accusationem quæ intra sexaginta dies à die divortii Iure mariti fit, & eam accusationem, quæ fit Iure extranei.

26 Iure mariti si fiat accusatio isthæc, factâ transactione cùm uxore adulterâ, nō est admittendus maritus ad accusationem uxoris,

Ratio

Ratio est, quia accusatio adulterii, quæ fit Iure mariti est singularis, privilegiata, & propria mariti, proindè omnibus aliis accusare volentib. ipse maritus præfertur, & neq; de calumniâ, neq; ad subscriptionem in pœnam talionis tenetur, *l. Iure mariti 6. & l. quamvis. 30. C. ad L. Iul. de adult.* Francisc. Marcus *decis. 742. part. 2* Ius a. singulare, & privilegiatum facilè tollitur. *l. eius militis. 34. §. militiâ missus. in fin. ff. de testam. milit.*

27 Et quia accusatio adulterii quæ fit Jure mariti, permittitur ipsi marito propter injuriam privatam, quæ ei per adulterium uxoris infertur, *d. l. quamvis. 30. C. ad L. Iul. de adult.* ac qlibet iniuriam privatam remittere potest, *§. ult. Inst. de iniur. l. si tibi. 17. §. quadam, ff. de pact.* Consequens ei est, quòd transactio de accusatione adulterii Iure mariti competente valeat; proindè permissum non sit marito, post transactionem accusare adulteram uxorem de comisso adulterio Iure mariti. Quòd si verò maritus cum uxore adulterâ transigens, 28 Iure extranei accusare ipsam velit, non impedit ea trãsactio, quò minus uxorẽ de adulterio accusare possit: Hæc enim accusatio cõpetit non Iure proprio, sed publico Iure, ut quę cuilibet de populo permittitur, ut suprà docui, cùm ergò inutiliter de hoc Iure

accu-

accusandi publico transactio fiat, *l. Iuris gentiū. 7. §. si paciscar ne operis 14. & §. & generaliter. 16. l. ius publicum. 38. ff. de pact.* salvum manet ipsi marito Ius publicum accusandi uxorem adulteram. In casibus enim, in quibus transigi non potest, qui inutiliter transegit, non impeditur accusare, Gloss. *fin. in l. accusationem. 6. C. qui accus. non poss.* & confert text. *in l. 3. §. si is cuius. 10. ff. de sepulchro violato*, & in specie de transactione super adulterio, quòd eâ non obstante, possit maritus uxorem de adulterio accusare Iure extranei, tradit Iason. *in d. l. transigere. num. 16.* & ibidem Purpuratus *num. 79.* tùm etiam Anton. de Padilla *num. 91. C. de transact.* & hos sequutus Petr. Barbosa *in l. 2. in princ. part. 1. num. 105. & seq. ff. solut. matrim.*

29 Non obstat, quòd si maritus negaverit se accusaturum Iure mariti intra dies sexaginta, nōn ipse postea, sed extranei ad accusandum admittantur. *l. si maritus. 15. §. si negaverint 5. ff. ad L. Iul. de adult.* Est enim textus ille accipiendus de mariti in accusando adulterio Iure speciali, quo extraneis præfertur maritus. Iure hoc si maritus nolit uti, non impeditur accusare jure extranei, si aliis extraneis prævenerit, ut proximè citati Iuris interpretes rectè sentiunt.

Neque

Neque etiam adversatur ratio Donelli *in d. l. transigere. num. 4. C. de transact.* quæ hæc est, quòd qui transigit de crimine publico, aut de eo paciscitur, hoc in summâ agit, ne ipse accuset; proindè non de re publicâ, sed de propriâ suâ, & privatâ re transigit, aut paciscitur; cùm accusare, vel non accusare, privatum sit factum, non publicum. Qui ergò hoc suum factum privatum transigendo remittit, non potest postea ad accusandum redire. Sed Donelli hoc argumentum enervari hâc potest ratione: Qui accusat aliquem de crimine aliquo publico, nō suum proprium exequitur factum, sed publicum tractat negocium. 30

Cùm enim iniuriarū actio in bonis nostris non cōputetur, antequā litem contestamur. *l. iniuriarum. 28. ff. de iniur.* patet inde, quòd multò minus accusatio criminis publici nostra sit, & in bonis nostris. Et quia popularis actio non privatum agentis; sed populi Ius tuetur. *l. 1. ff. de popul. act.* consequens ei est; quòd nec criminis accusatio publica ipsius sit accusatoris; sed universi populi: Id quod evincitur quoq; ex eo, quòd accusatio criminis publici, cuiuis de populo cōpetit. *d. §. 1. Inst. de publ. iud. l. palàm. 43. § senatus. 10. ff. de rit. nupt.* cùm eam publicæ disci- 31

E plinæ

lus, tunc hi extraneis præferuntur, cùm maritus genitalis thori iustus sit vindex, & necessarios proximosque verus dolor ad accu-
4 sandum impellat, *d. l. quamvis. 30. C. d. t.* Maritus autem patri præfertur, cùm ille propensiore irâ, & maiori dolore credatur accusationem executurus, *l. 2. §. si simul. 8. ff. d. t.* Post maritum & patrem, si illi accusare negligant, admittuntur cæteri necessarij *d. l. quamvis. 30. in princ. C. eod. tit.* & inter necessarios maximè ille admittitur, quem Iudex accusatorem iustiorem constituerit, *d. l. 2. §. ult. ff. eod. tit.*

5 Cæterùm quò minus post maritum & patrem admittantur cæteræ necessariæ, proximæque personæ, obstare videtur text. *in d. l. 4. §. extraneis. ff. ad L. Iul. de adult.* ubi ICtus Vlpian. post maritum & patrem accusandi facultatem extraneis concedi tradit.

6 At sciendum est, quòd extranei pandectarũ Iure hâc in materiâ appellentur omnes præter maritum & patrem, uti arguit text. *in d. l. 2. §. marito. 1. §. si simul. 8. & §. seq. l. 3. & d. l. 4. §. extraneis. ff. d. tit.* Iure autem Codicis ex Constantini Imp. lege extraneorum appellationi eximuntur non solùm maritus & pater adulteræ, sed & eius frater, patruus, auunculus, *d. l. quamvis 30. C. eod. tit.*

7 Quando autem desunt necessariæ, proximæq;

mæq; personæ, aut illæ accusare nolunt, admittuntur etiam extranei. Est enim adulterium ut dixi crimen publicum, ad cuius accusationẽ quilibet de populo admittitur, proindè admittuntur quoq; personæ extraneæ. Gloss. *in l. 4. in verb.* qui accusare. *ff. h. t. & in d. l. quamvis. 30.* ubi, Bart. Salic. & Azo *C. eod. tit.*

Sed obloqui videtur pnunciato huic textus *in d. l. quamvis 30. vers. extraneos. C eod. tit.* quo quidam moti arbitrantur, hodie extraneos nunquam admitti ad accusationẽ hanc, quorum aliquos citavi suprà cap. 1. & plures recenset Farin. *tract. de delict. carnis quæst. 140. n. 36.* Verùm quo sensu accipiendus sit textus ille, ostendi suprà d. cap. 1. hoc nimirũ, quando nõ extant necessariæ, proximæq; personæ, aut si extãt, accusare tamẽ nolunt, ut post Gloss. & alios sentit etiam Farinac. *dict. quæst. 140. n. 37* Wesemb. verò *in parat. ff. tit. ad L. Iul. de adult. n. 10.* alio sensu accipit textũ, *in d. l. quamvis. 30, vers. extraneos autẽ.* ubi scribit, quòd Constãtinus Imp. extraneos ab eâ tantũ accusatione excludere voluerit, quæ fit Iure mariti, quam propinquorib. etiã concedi ait. Atqui accusationem adulterij, quæ propinquiorib. conceditur, concedi ipsis Iure mariti nusquam legi autumo. Maritus Iure mariti, & Iure viri accusare dicitur uxorẽ adulterã & adulterum. *d. l. 2. §. 1. l. inter 6. §. ult.* ibi Iure viri,

*l. si uxor. 13. in princ.* ibi, Iure quidem mariti. *&* § *si minor. 8.* ibi, poterit Iure viri accusari. *l. is cuius. 14. §. ult. ibi,* Iure mariti. *ff. dict. tit.* proximas, necessariasque personas accusationē adulterij Iure mariti instituere nusquam credo legitur. Aliud Ius est mariti sive viri in adulterij accusatione, aliud item necessariarum personarum. Necessarijs personis jus non est accusandi adulterium, quando maritus adest, & accusare intendit, ut antea ostendi, non ergò idem Ius est ipsis cum marito: alioqui simul & unâ accusare possent adulterum maritus, aliæque necessariæ personæ. Et quia maritus conjugis adulteræ accusare dicitur Iure matiti sive viri Iure, & extranei accusare adulterium dicuntur Iure extranei. *d. l. si uxor. 13. in princ.* ibi Iure tamen extranei, & §. *sed etsi 4.* ibi Iure mariti accusare eam non posse, Iure extranei posse. & *d. l. si maritus. 15. §. Lex Iulia,* ibi, Iure extranei. *ff. ad L. Iul. de adult.* Consequens ei est, patrem Iure patris, fratrem Iure fratris, patruum & auunculum Iure patrui, auunculi Iure accusare adulterium, non Iure mariti. Atque hæc sententia hoc ipso quoq; confirmatur, quòd licet sponsus non possit Iure mariti accusare sponsam suam adulteram, Iure tamen sponsi id facere potest *d. l. si uxor. 13. §. si minor. 8. ff. ad L.*

*ad L. Iul. de adult.* Poteſt ergò pater Iure patris, non Iure mariti accuſare filiæ ſuæ adulterum,& alius aliquis neceſſarius poteſt Iure neceſſitudinis, nō Iure mariti accuſare adulterum agnatæ ſuæ.

11 Eſt & illud hîc notandum quòd in Franciâ ſolus maritus dum ille vivit, adulterium accuſat,ut & ſolus ſponſus de præſenti, non alius aliquis, ita ut nec ex officio adverſus adulteram vel adulterum procedere queat, ut tradit Petr. Barboſa ad *l. 1. part. 1. in princ. num. 112. ff. ſolut. matrim.* Item quoque videndus *num. 118.* ibidem.

12 Eſt autem Iure mariti, Iure patris, jure neceſſitudinis accuſare adulterum & adulteram, Ius aliquod præcipuum, quo quis in accuſatione adulterij alijs intra certum tempus præfertur, *d. l. 2. §. pen. l. 4. §. pen. & ult. ff. ad L. Iul. de adult. d. l. quamvis. in princ. C. eod. tit.* Intra quod autem tempus Iure præcipuo prædictæ perſonæ accuſare poſſint, dicetur infra eodem hoc capite.

13 Etſi verò extraneis quoque accuſandi poteſtas concedatur, quando deſunt, qui Iure præcipuo factitare accuſationem parati ſunt, attamen minor 25. annis ad adulterij accuſationem non admittitur. *l. ſi maritus. 15. §. lex Iulia. 6.* ubi, Bart. & alij. *ff. ad L. Iul. de adult.*

D 5 quam-

quamvis aliâs criminis accusatio minori non denegetur, ut argumento à contrario sensu citatæ modò legis sentit Azo *ad Rubr. Cod. qui accus. poss.* quem refert & sequitur Wesemb. *in paratit. ff. tit. de accus. n. 9.* modò tamen ipsi minori accusare volenti curator adjungatur. *l. clarum. 4. C. de authorit. præstanda.*

14 Maritus autem minor 25. annis suum accusandq vindicare matrimonium non prohibetur, *d. l. si maritus 15. §. lex Iulia. ff. ad L. Iul. de adult.* etiamsi filiusfam. sit, & pater eius dissentiat. *l. inter. 6. §. filiusfam. ff. d. t.*

15 Et licet maritus uxorem in matrimonio retentam accusare de adulterio non possit Iure Codicis, *l. crimen adulterij. 11. C ad L. Iul. de*
16 *adult.* Nec extraneus constante matrimonio crimē adulterij alterius uxori inferre queat. *l. miles 11. §. volenti. & l. constante. 26. ff. d. tit.* No-
17 vellarum tamē Iure marito id facere permittitur. Novell. *117. cap 8. vers. si de adulterio. Auth. sed novo. C. h. t.*

18 Fœmina quoq; licet Iure Iustinianeo si velit de matrimonio suo violato queri, ab accusatione adulterii arceatur. *l. 1. C. ad L. Iul. de adult.* Berlich. *conclus. 27. n. 154. & seq. part. 4.* ubi alios hanc in sententiam citat. Carolinâ ta-
19 men sanctione potest uxor de coniugis sui adulterio cum alienâ muliere commisso, accusationem instituere, Peinliche Halßge-

richts

richts Ordnung Kayſer Carls deß fünfften artic. *120.* Idq; alios ſequutus ſentit etiam Berlich. *concluſ. 27. num. ult. part. 4. pract. concluſ.*

Altera de accuſatione adulterij inſpectio eſt, ut dixi, de Iudice coram quo accuſatio hæc inſtitui poteſt, item de loco, & ordine accuſationis huius.

Iudicem quod attinet, diſpiciendum eſt, an civiliter de adulterio ad thori ſeparationem, & amiſſionem allatæ dotis, & alterius rei agatur, an verò agatur criminaliter ad pœnã infligendam. Caſu priori cauſa adulterii, & eius cognitio ad iudicem ſpectat Eccleſiaſticum, *c. porrò. & c. ſeq. c. ex literis. 5. & c. ſeq Extr. de divortiis. c. 2. c. intelleximus. 6. & c. ult. Extr de adult. & ſtupro. cap. veniens. 13. verſ. mandamus,* ibi, Iudicio Eccleſiæ fuerit ſeparata. *& c. ſeq. c. cum in Apoſtolica. Extr. de ſponſal. c. accedentib. 12. Extr. de exceſſib. Prælatorum. can. multorum. 15. quæſt. 6.* Didac. Covarr. *in Epitom. lib. 4. decretal. Tit. de ſponſalib. cap. 3. §. ſexto. n. 8. & cap. 8. §. Duodecimo. num. 3.* Nicol Mozzius, *de matrimonio. cap. de naturalib. matrimonii. num. 18.* Iul. Clar. *in pract. crim. quæſt. 37. num. 3. verſ. ſcias tamẽ.* Farinac. *tract. crim. Tit. de inquiſitione, quæſt. 8 n. 130. & Tit. de delict. carnis, quæſt. 140. n. 42.* ubi alios citans latè oſtendit, quòd cauſa matrimonii, quoad ſeparationẽ thori, & dotis ac donationis propter nuptias amiſſionem, ex

20.

thori

thori separatione propter adulterium, ad solum Ecclesiasticum pertineat Iudicem.

21 Casu verò posteriori, quando criminaliter ad pœnam agitur, causa adulterij, & cognitio ipsius est mixti fori, & ad utrumque pertinet Iudicem tàm Ecclesiasticum etiam quoad laicos, quàm secularem Iudicem, ita ut hîc præventio locum habeat. De Iudice Ecclesiastico est text. *in c. 1. Extr. de offic. iud. ordin.* De iudice seculari dubitandum non est propter text. *in c. cum sit generale. Extr. de foro compet.* maximè cum de Iudice utroque textus extat. *in c. Tua. 5. Extr. de procurat.* Atque ita post Alciat. *in c. 1. num. 18. Ext. de off. & potest. Iud. ordin.* Didac. Covarr. *d. tit. de sponsalib. part. 2. cap. 7. §. sexto. num. ult.* Iul. Clar. *in pract. crimin. quæst. 57. num. 3.* sentit quoque Barbosa *in l. 2. part. 1. in princ. num. 139. & seq. ff. solut. matrim.* & Prosper. Farinac. *d. tit. de inquisit. n. 130 & d. tit. de delict. carnis. quæst. 140. num. 42.*

22 Non incommodè hoc loco queri potest, An maritus si contra uxorem, vel uxor contra maritum de adulterio egerit civiliter ad thori separationem, & dotis ac donationis propter nuptias amissionem, possit eandem postea criminaliter de adulterio accusare? Negativa propior veritati videtur, hâc ratione, quòd actio illa civilis ad vindictam, injuriæ ma-

riæ marito ab uxore adultera illatæ tendit, *l.miles.11.§.socer.3.ff.ad L.Iul. de adult.* Ancharan. *in c.tua.num.4. Extr. de procurat.* Barbosa *ad dict. l. 2.part. 1.in princ.num. 127. & seq.ff.solut.matrim.* Cùm ergò ad vindictam pertineat etiam criminalis accusatio adulterij, non potest maritus post civilem de adulterio actionem, etiam criminaliter uxorem accusare; Quando enim utraque actio ad vindictam tendit, tunc unâ electâ, ad aliam redire quis non potest, *l.quod 6.in fin. & seq. l. Prætor. edinit. 7.§.si dicatur.ff. de injur.* Bart. *in l. 2. §. 1. num. 3 .ff.vi bonor. rapt.* Panorm. *in c.de his n.6. Extr.de accusat.* Boer. *decis. 289.num.6.* Didac. Covarr. *lib.2.variar. resol.cap. 10. num. 1. ad fin.* Confert huc, quòd si maritus primùm contra uxorem egerit actione de moribus, postea eam criminaliter accusare non potest, *l. unic. vers. & cum,* ibi, excepta sit causa de moribus *Tit.16.* victum civiliter, agere criminaliter posse. *C.Theodos. lib. 9.* Adhæc si socer accusaverit nurum suam de adulterio criminaliter, non potest accusatione desertâ, contra eam postea civiliter de dote amissâ experiri. *d.l miles.11.§.socer. 3. ff. ad L. Iul. de adult.* Ergò à fortiori, qui prius egit civiliter contra uxorem de adulterio, non poterit postea eandem de adulterio accusare crimina-

23

minaliter. Idq; sentit etiam Ancharan. *n. 6. &* Panorm. *n. 5. in d. cap. tua. Extr. de procuratorib.* & Petr. Barbosa *in d. l. 2. part. 1. in princ. n. 138. & seq. ff. solut. matrim.*

24 Non impedit conclusionem hanc regula *l. unic. C. quando ciuil. actio crim. non praiud.* Vbi disponitur; quòd quis possit agere civiliter pro unâ causâ, & postea pro eâdē agere criminaliter, Isthæc enim regula vitiatur, & officium suum perdit, quando actio civilis & criminalis ad vindictam pertinent, ut antea ostendi.

25 Moueri hoc loco & illa potest quæstio, cùm maritus de adulterii accusatione criminali non possit cum uxore suâ transigere, per text. *in l. transigere. 18. C. de transact. l. de crimine. 10. C. ad l. Iul. de adult. l. miles. 11. in princ. ff. d. t.* an factâ illâ transactione, accusare uxorem de adulterio possit? Negat Bart. *in d. l. transigere. num. 13. C. de transact. & in d. l. si maritus. 25. § si negaverit. ff. ad L. Iul. de adult.* & Donell. *ad d. l. transigere. num. 4.* Ex Cyno tamen *in d. l. transigere, in septima oppositione*, distinguendum hîc videtur inter accusationem quæ intra sexaginta dies à die divortii Iure mariti fit, & eam accusationem, quæ fit Iure extranei. Iure mariti si fiat accusatio isthæc, factâ

26 transactione cum uxore adulterâ, nō est admittendus maritus ad accusationem uxoris,

Ratio

Ratio est, quia accusatio adulterii, quæ fit Iure mariti est singularis, privilegiata, & propria mariti, proindè omnibus aliis accusare volentib. ipse maritus præfertur, & neq; de calumniâ, neq; ad subscriptionem in pœnam talionis tenetur, *l. Iure mariti 6. & l. quamvis. 30. C. ad L. Iul. de adult.* Francisc. Marcus *decis. 742. part. 2* Ius a. singulare, & privilegiatum facilè tollitur. *l. eius milit. 3 4. §. militiâ missus. in fin. ff. de testam. milit.*

Et quia accusatio adulterii quæ fit Jure mariti, permittitur ipsi marito propter injuriam privatam, quæ ei per adulterium uxoris infertur, *d. l. quamvis. 30. C. ad L. Iul. de adult.* ac qlibet iniuriam privatam remittere potest, *§. ult. Inst. de iniur. l. si tibi. 17. §. quadam, ff. de pact.* Consequens ei est, quòd transactio de accusatione adulterii Iure mariti competente valeat; proindè permissum non sit marito, post transactionem accusare adulteram uxorem de comisso adulterio Iure mariti. Quòd si verò maritus cùm uxore adulterâ transigens, Iure extranei accusare ipsam velit, non impedit ea trãsactio, quò minus uxorẽ de adulterio accusare possit: Hæc enim accusatio cõpetit non Iure proprio, sed publico Iure, ut quę cuilibet de populo permittitur, ut suprà docui, cùm ergò inutiliter de hoc Iure

27

28

accu-

accusandi publico transactio fiat, *l. Iuris gentiū. 7. §. si paciscar ne operis 14. & §. & generaliter. 16. l. ius publicum. 38. ff. de pact.* salvum manet ipsi marito Ius publicum accusandi uxorem adulteram. In casibus enim, in quibus transigi non potest, qui inutiliter transegit, non impeditur accusare, Gloss. *fin. in l. accusationem. 6. C. qui accus. non poss.* & confert text. *in l. 3. §. si is cuius. 10. ff. de sepulchro violato*, & in specie de transactione super adulterio, quòd eâ non obstante, possit maritus uxorem de adulterio accusare Iure extranei, tradit Iason. *in d. l. transigere. num. 16.* & ibidem Purpuratus *num. 79.* tùm etiam Anton. de Padilla *num. 91. C. de transact.* & hos sequutus Petr. Barbosa *in l. 2. in princ. part. 1. num. 105. & seq. ff. solut. matrim.*

29 Non obstat, quòd si maritus negaverit se accusaturum Iure mariti intra dies sexaginta, nón ipse postea, sed extranei ad accusandum admittantur. *l. si maritus. 15. §. si negaverint 5. ff. ad L. Iul. de adult.* Est enim textus ille accipiendus de mariti in accusando adulterio Iure speciali, quo extraneis præfertur maritus. Iure hoc si maritus nolit uti, non impeditur accusare jure extranei, si aliis extraneis prævenerit, ut proximè citati Iuris interpretes rectè sentiunt.

Neque etiam adversatur ratio Donelli *in d. l. transigere. num. 4. C. de transact.* quæ hæc est, quòd qui transigit de crimine publico, aut de eo paciscitur, hoc in summâ agit, ne ipse accuset; proindè non de re publicâ, sed de propriâ suâ, & privatâ re transigit, aut paciscitur; cùm accusare, vel non accusare, privatum sit factum, non publicum. Qui ergò hoc suum factum privatum transigendo remittit, non potest postea ad accusandum redire. Sed Donelli hoc argumentum enervari hâc potest ratione: Qui accusat aliquem de crimine aliquo publico, nō suum proprium exequitur factum, sed publicum tractat negocium. 30

Cùm enim iniuriarū actio in bonis nostris non cōputetur, antequā litem contestamur. *l. iniuriarum. 28. ff. de iniur.* patet inde, quòd multò minus accusatio criminis publici nostra sit, & in bonis nostris. Et quia popularis actio non privatum agentis; sed populi Ius tuetur. *l. 1. ff. de popul. act.* consequens ei est; quòd nec criminis accusatio publica ipsius sit accusatoris; sed universi populi: Id quod evincitur quoq; ex eo, quòd accusatio criminis publici, cuiuis de populo cōpetit. *d. §. 1. Inst. de publ. iud. l. palàm. 43. § senatus. 10. ff. de rit. nupt.* cùm eam publicæ disci- 31

plinæ vigor postulet. *l. locatio 9. §. quod illicitè. 5. ff. de publican. & vectig.* Ipsum quidem accusationis factum expeditur ab accusatore, at ipsius proprium non est, sed Reipbl. cuius nomine expeditur.

12 Non est omittenda hoc loco dubia illa & controversa quæstio, quæ causa sit, cur de adulterii crimine, & eius accusatione transigere aut pacisci non liceat? Quidam ut Bart. & Ang. ad Rubr. *ff. ad l. Iul. de adult.* & Roman. *in d. l. transigere. num. 4. C. de transact.* arbitrantur, cautum id esse ideò, quòd crimen hoc cæteris omnibus grauius & detestabilius esse videatur, *per text. in can. quid in omnib. 22. quæst. 7.* ubi ex Epistola Clementis hæc refertur sententia; quid in omnib. peccatis adulterio est gravius? Accurs. quoque in *d. l. auxilium. 37. ff. de minoribus.* adulterium vocat crimen omnium atrocissimum. Iodoc. Item Damhoud. *in praxi rer. crim. cap. 89. n. 1.* ipsum adulterium pessimum vocat crimen. Quidam etiam ex ICtis scribunt, præter crimen læsæ Maiestatis adulterium esse maximum crimen, quos refert Berlich. *concl. 27. num. 2. part. 4. concl. pract.*

13 Confert eodem, quòd acerbior est dolor, quem maritus ex uxoris suæ sentit adulterio, quàm ex cæde filij sui, ut Dd. quos refert

Padilla *in d.l. transigere. num. 72. C. de transact.* colligunt ex *l. Lucius 88. §. matre. 16.* ibi, sed & alia mihi deteriora fecit. *ff. de legat. 2.* sentit idem Ægid.Boss. *tit. de coitu damnabili. num 44. & seq.* Tùm etiam Farinac. *in pract. crim. part. 4. Tit. 16. quæst. 141. num. 3. & 4.*

At sunt nonnulla crimina, quæ adulterium atrocitate longè vincunt, ut crimen incestus, & sodomiæ crimen, *can. adulterij, & can. flagitia 32. quæst. 7.* Parricidium quoque & homicidium graviora sunt crimina, quàm adulterium, ut sentit Marcianus ICtus *in l. ult. §. 1. ff. de publicanis.* 34

Quin etiam adulterium inter minora numeratur crimina *in c. at si clerici 4. §. & de adulteriis. Extr. de iudic.* Et tradit Iodoc. Damhoud. *in prax. crim. cap. 89. num. 12.* ipsum, ait, homicidium infinitis partibus adulterio gravius est, & enormius. Non potest ergò hæc esse causa exceptionis illius, cùm de criminibus adulterio gravioribus transactio fieri non prohibeatur. 35

Quod attinet textum *in d. can. in omnibus.* comparatio illa adulterii cum aliis peccatis à maiori, pertinet tantùm ad exaggerationem adulterii, Rhetorum more factam, ut evincitur partim ex eo, quòd canon ille ex epistola Clementis descriptus est,

partim quòd ibi nulla alia recensentur crimina, cum quibus specialis collatio adulterii fiat.

Nec ullam capit firmitatem prior illa sententia *ex d. l. Lucius. 88. §. matre. ff. de legat. 2.* In facti enim specie ibi propositâ ipse testator non legislator censuit maiorem esse dolorem, quem ex suæ uxoris adulterio percepit, quàm qui ex filii cæde ei obvenit. At 36 criminis gravitatem non ex opinione hominum metimur; *d. can. flagitia. 32. quæst. 7.* neq; ex cuiusdam hominis affectione privatâ æstimamus malefici atrocitatem. *l. nec in ea 22. § ult. ff. ad L. Iul. de adult. l. probrum. 42. ff. de verb. sign.* Non ergò criminis adulterij gravitas in causâ est, cur de adulterio transigi non possit, id quod sentit etiam Alciat. *lib. 5. paradoxor. cap. 8.* & Coras. *lib. 2. miscell. cap. 10 num. 2.*

Alii crediderunt, causam exceptionis illius hanc esse, quòd Impp. Diocletianus & Maximianus castitatis amantes, ad castimoniæ cultum cives Romanos deducere voluerunt, proindeq; transactionem de adulterio castitati adverso, fieri prohibuerint, hanc causam ex sententiâ aliorum adducit etiam Bart. ad Rubr. *ff. ad L. Iul. de adult.* Verùm licet Imperatoribus illis pudor cordi fuerit, ut arguit

arguit text. *in l. ita nob. 28.* ibi, nobis cordi pudor est. Item ibi, ultionem pudoris. *C. ad l. Iul. de adult.* Attamen memoratæ illius causæ momento ipsos Impp. fuisse motos, ut unicam illam de adulterio exceptionem traderent, verisimile non est, raptus enim crimen, ut & sodomiæ flagitium castimoniæ omnium maximè adversantur, & utriq; huic sceleri capitis pœna Iure proposita est, non minus atque adulterio, ut ex Tit. *Instit. de publ. iud.* cognoscimus, de illis tamen transactionem fieri nusquam prohibetur, & *in d. l. transigere*, excipitur solum adulterium, non raptus, neque etiam sodomia.

17 Cæterum Doctores nostri hanc causam non esse idoneam ut ostendant, aiunt, stuprum quoque & incestum pugnare cum castitate, attamē de utroq; illo facinore transigi posse scribunt. At quia stupri pœna capitalis non est, §. *sed eâdem lege, Inst. de publ. iud.* non nisi ineptè hâc ratione causa illa hîc reiicitur. De stupro quidem non potest transactio fieri, sed ideò, quòd sanguinis pœnam non ingerit, quocirca pertinet stuprum ad secundam regulam *in d. l. transigere*, propositam, quæ est de transactione in criminibus non capitalibus prohibita.

Quidam, ut Bart. post Petr. de Bella per-

tica, & alii ipsos sequuti, memoratæ exceptionis de adulterio hanc etiam adducunt causam, quòd Impp. prohibitione transactionis de adulterio frequentiæ criminis huius obviare, & prævertere voluerint. At neque hæc causa idonea est, cùm multa alia sint capitalia crimina æquè frequentia, de quibus tamen transactio fieri non prohibetur, *per text. in d. l. transigere.*

Aliqui ex Dd. hanc prætexunt causam, quòd qui transigit de adulterio, pecuniam accipiat, ut celet adulterii crimen, proindè in Legem Iuliam de adulteriis incidat, *d. l. auxilium 37. in fin. vers. pretiumvè pro comperto stupro acceperit ff. de minorib.* Verùm non iniuriâ negatur, quòd ille qui transigit de adulterio, & eius accusatione, celet adulterium. Alia quippe transactionis illius causa finalis est, nimirum ut transigens sanguinem suum redimat, *l. 1. ff. de pœn. eór. qui ant. sent. mort. sibi consciver.*

Nonnulli, ut Salicet. Fulgos. Castrens. Alex. Ias. & alii quidam recentiores, & inter hos etiam Donell. *in d. l. transigere, numero 7.* hanc putant esse causam exceptionis illius, quòd Imperatores tùm ob honorem, & fauorem matrimonii, tùm salutis publicæ causâ no-

sâ noluerint in adulterio, & eius accusatione transactionem admittere, sed potius voluerint, ex accusatione mortem adulteris imponi, ne scilicet permissione transactionis illius, & remissione accusationis, occasio in futurum præberetur per adulterium turbandi sanguinem, & liberos adulterinos honestis inserendi familiis, ac incertâ & probrosâ sobole civitatem ad eius perniciem & dedecus onerandi. Atqui hanc rationem ideò non puto congruam, quòd licet quis transegerit cum adultero, vel adulterâ de commisso adulterio, & eius accusatione, attamen crimen illud non maneat impunitum, cùm alius aliquis non obstante transactione illâ, de eodem adulterio accusationem vindictæ publicæ causâ instituere possit, *l. qui cœtu 5. §. ult. ff. ad L. Iul. de vi publica. l. 3. §. pen. ff. de sepulchro violato.* Gloss. *in d. l. transigere, in verb.* prohibitum *C. de transact. & ibi.* Bart. *num 1.* Curt. Senior *num. 32.* Purpur. *numero 107.* Alberic. *numero 4. &* Anton. de Padilla, *numero 51.* Prosper. Farinac. *tit. de inquisitione, quæst. 4. numero 31.* Petr. Gilken. *numero. 5.*

Quòd si nullus alius privatus accusationẽ 38 adulterii suscipere velit, ne impunitũ mane-

hoc facinus, Iudex ex officio inquirere in illud potest, ac debet, ut patet non modò ex textu generali *in c. qualiter. 17. c. cum oportet, 19. c. inquisitionis. 21. & c. qualiter. 24. Extra de accusat. l. congruit. 13. ff. de offic. Præsid. l. ea quidẽ, 7. C. de accus.* & tradunt communiter de omni crimine Dd. quos memorat & sequitur Farinac. *d. tit. de inquisit. quæst. 4. num. 31.* Sed liquet etiam ex dispositione speciali de adulterio *in. l. 2. §. si publico. 5. iunct. §. seq. ff. ad L. Iul. de adult.* Qui enim delinquit, non modò privatim peccat, sed & Rempub. lædit *d. l. locatio 9. §. quod illicitè. vers. alterum enim. ff. de publ. & vect.*

39 Vnde licet privatus aliquis transegerit de adulterio cum illius criminis reo, vel reâ, eâ tamen transactione non tollitur ius Reip. quæsitum *d. l. Iurisgentium 7. §. si paciscar. l. Ius publicum. 28. l. si unus. 27. §. pacta. ff. de pact.* Sed potest Iudex non obstante transactione ex officio de adulterii crimine postulare adulterii reum, id quod in specie de casu factæ transactionis sentiunt Dd. quos citat, & sequitur Farinac. *d. tit. de inquisitione, quæst. 4. num. 32.*

Alii aliter eliminandam putant hanc causam, hâc scil. ratione, quòd causa illa non solum in adulterio, sed etiam in stupro militet, cùm possit contingere, ut puella, aut vidua, ubi

ubi gravem ex aliquo uterum sibi senserit, nubat confestim alicui, quò citra famæ dispendium, quasi proles illa mariti novi esset: quod factum similiter in Reip. perniciem, & familiæ dedecus vergat. Hanc rationem prætendit Alciat. *dict. lib. 5. paradox. cap. 8.* & in explicatione *d. l. transigere, C. de transact.* quem sequitur Coras. *d. lib. 2. Miscell. cap. 8. num. 5.* Verùm hâc ratione rejici non potest causa isthæc; quippe cùm de stupro non possit fieri transactio, eò quod in stupratorem non convertitur sanguinis pœna, proindeq; pertinet stuprum ad secundam regulam in d. l. transigere, propositam. Quòd si stuprum ex criminibus esset capitalibus, ut est adulterium, & hoc ab illo differret eo tantùm, de illo non etiam de hoc transactio fieri posset, non ineptè eliminaretur isthæc causa per illam Alciati rationem. 40

Adhæc insipidi planè & incogitantis esset hominis, ad nuptias illius aspirare puellæ aut viduæ, cui uterum tumere viderit, aut de cuius vitâ, morib. & pudicitiâ diligenter antea non inquisierit, aut si eandem duxerit, senserit autem ipsam gravidam, confestim non dimiserit, cùm id Iure posset. *c. quemadmodum. §. alioquin. Extr. de Iureiurand.* 41

Aliam fingit causam exceptionis illius, 42

Coras. *d. lib. 2. miscell. cap. 1. num. ult.* hanc nimirum, quòd authoritate legis Iuliæ cautum sit, ut pœnâ lenocinii damnetur, qui se pecuniâ aut pactione ab adulterii accusatione redimere ausus fuerit, *l. 2. §. 2. l. miles. 11. §. socer. 2. & l. si cuius. 14. in princ. ff. ad L. Iul. de adult.* Ne autem Impp. Dioclet. & Maximianus crimini huic lenocinio scil. & ipsius pœnæ ipsâ transactionis permissione occasionem præberent, constituerunt, ne de adulterio transactio fieret.

Verùm hæc causa ideo huc congruere non videtur, quòd legum conditores omnia & singula crimina admitti vetuerũt, nihilominus tamen de criminibus, quæ sanguinis pœnam ingerunt, transactionem fieri permiserunt, & solum adulterium exceperunt.

Adhæc Corasii causa illa generalis non est, cùm ad ipsam adulteram nihil pertineat, ut quæ lenocinium transigendo committere haud dici potest, neque etiam pertinet ad extraneum accusatorem, ut sentit Alciat. *lib. 5. paradoxor. cap. 8.* Cùm tamen Constitutio *d. l. transigere.* sit referenda non modò ad accusatorem maritum, sed etiam ad extraneum accusatorem, ut & ipsam uxorem adulterii ream.

43

Denique

Denique Alciatus *d. lib. 5. paradoxor. cap. 8. & in d. l. transigere*, C. *de transact.* tùm etiam Cuiac. *lib. 6. obs. cap. 11. & lib. 19. obs. cap. 39.* Item. *lib. 20. cap. 18. & cap. seq.* hanc existimant esse causam exceptionis illius, quòd Jure veteri in adulteros pœna sanguinis constituta non fuerit, & proindè ex posteriore capite *d. l. transigere*, eo de crimine transigi non potuerit. Et licet postmodum gladii pœna in adulteros sit definita, (ut infra cap. ult. dicetur) vetus tamen Jus de non transigẽdo super adulterio illibatũ manserit. 44

Hoc Alciati & Cuiacii proloquium mihi omninò probabile videtur. Novę enim constitutiones strictè accipiẽdæ sunt, non etiam extendendæ in correctionem Iuris antiqui. *l. præcipimus. 32. §. ult. C. de appell. & cap. 1. Tit. de constitut. in. 6.* Quãvis ergò jus vetus in adulterii pœnâ sit mutatum, eaq; pœna iussa sit capitalis & quidem mortalis esse, quia tamen neque eâdem illâ constitutione, neq; vllâ aliâ lege novâ expresse & nominatim transactio permissa legitur in adulterio, Ius illud antiquũ de non transigendo super adulterio intactum mansisse intelligitur. 45

Et quia cõsequẽtię in nouo Iure cõstituendo nihil valẽt, ut docet Cuiac. *in paratit. C. tit. ut actiones ab hered. & contr. hered. incipiãt*, haud

rectè

rectè ex eo, quòd adulterium Iure novo capitale sive mortale factum est colligitur, de authoritate Iuris illius novi transactionem fieri posse, Cuiac. *lib. 19. obs. cap. 39. & lib. 20. cap. 19.*

47 Adhæc quia ratio, cur adulterii illa antiqua pœna non capitalis, constitutionibus novis in capitalem fuit versa, suasoria esse, & impulsiva videtur, ut sentit Alciat. dictis locis, hæc nimirum, quòd expediat Reipub. ut grave scelus dignis coerceatur pœnis, ratio illa operari non debet ultra eam pœnam novam, nec ad introducendam super adulterio transactionem, explicari. Etsi enim novis ex Constitutionibus cesset ratio, cur antiquitus Iure veteri non potuit de adulterio trãsigi; attamen dispositio Iuris illius ex causâ impulsivâ nati, remansit, ut arguit text. *in d. l. transigere*, C. *de transact.*

48 Quippe cùm regula Iuris, cessante causâ, cessat effectus, non procedat in causâ impulsivâ, ut latissimè ostendit Tiraquell. *tract. & explic. eius regulæ. limit. 1.*

49 Postremò quia novum non est, ut unum ex duobus recipiatur, alterum verò non admittatur. *l. pen. vers. neque enim. ff. de reb. cred.* ubi African. ICtus neque enim, ait, sicut illud

illud receptum est, ut debitores soluentes liberentur, ita quoque hoc receptum est, ut credendo nummos alienaret: mirum cuiquam videri non debet, quòd Impp. constituerunt, ut adulterium non amplius non capitale, sed mortale esset, & nihilominus de adulterio transactio fieri non posset, ac si adhuc non capitale esset.

Si quis autem hîc quæsierit, cur Impp. Dioclet. & Maximian. Ius vetus non æquè mutauerint in transactione de adulterio, ut in ipsâ adulterii pœnâ? Posset quidem cũ ICtis responderi quòd non omniũ quæ constituta sunt à maiorib. ratio reddi possit. *l. non omniũ 20. & l. seq. ff de ll.* verùm animadvertere licet ex eorundem Impp. Dioclet. & Maximiani cõstitutione *in l si quidẽ 9. C. de. cõtrah. & comm. stip.* hanc esse rationẽ, quòd turpe sit de non capitali crimine, quale olim fuit etiam adulterium, transactionem fieri, Id quod etiam Cuiac. *dict. lib. 6. observat. cap. 11. & lib. 19. obs. cap. 39.* observauit. Quia autem turpe est de isthoc crimine transigere, est etiam infame, ut ex Iulio Paulo *lib. 1. sentent.* scribit Cuiac. locis modò citatis.

Hanc ad rationem accedit & illa, quòd par crimen est accusatoris præuaricatoris, qui se vinci patitur, colludio cum reo ex com-

10

15

20

compacto habito,&rei accusationem vel inquisitionem fugientis, *l. servi 23. §.1. C. ad Leg. Iul. de adult.* Cuiac. *d. lib. 6. obs. cap. 11. & d. lib. 20. obs. cap. 19.* Cùm ergò reus, vel rea adulterii transactione corrumpens accusatorem, pro convicto habeatur, *l. ult. ff. de prævaricatione*, sequitur inde, quòd accusator transigens cùm adultero, vel adulterâ, adulterij pœnâ teneatur, cùm ut dixi; par sit utriusque crimen. Quia autem pœna Iure comparata est in eum, qui transigit, vel paciscitur de crimine adulterii, consequens ei est, quòd etiam transactio & pactum de adulterio Iure sit prohibitum, etiamsi adulterium hodie capitalibus connumeretur criminibus.

14 Videndum nunc quo loco & ordine accusatio adulterii instituenda sit, locus accusationis huius proprius est, ubi crimen adulterii commissum esse constat, *l. si dum 14. & l. seq. iuncta Auth. si verò criminis. C. ad L. Iul. de adulter.* Et generaliter Iure definitum est, quòd primus & potissimus locus accusationis sit ille, in quo crimen est commissum, *l. 1. C. ubi de crimin. agi oport. l. ult. ff. de accusat. l. non est dubium 11. C. de custod. reor. l. 3. ff. de offic. Præsid. l. si cui 7. §. pen. ff. de accusat. l. ult. ff. de noxal. action. l. 3. in princ. ff. de re milit. l. 1. C. ubi Senatores, vel clariss.*

*clariss. Novell. 69. cap. 1. & Auth. qua in provinci. C. ubi de crimin. agi oport.*

Est & alius locus accusationis cõpetens, putâ in quo inchoatũ est crimẽ, *d. l. 1. ibi,* inchoata sunt, *C. ubi de crimin agi oport.* Quis autem locus ille sit, controversum est, communis interpretum schola hunc accipiunt locum, ubi lis de crimine contestata est, per text. *in l. ubi acceptum. 30. ff. de Iudic.* Gloss. & Dd. *ad d. l. 1.* & ibi etiam Vulteius *num. 23. & seqq. C. ubi de crimin. agi oport.* & ibidem Cuiac. *in paratit. & lib. 20. observat. cap.* 21. Mihi verior videtur Wesembecii Sententia in *paratit. Cod. d. tit. ubi de crimin. agi oport.* ubi crimen inchoatum accipit de crimine, quod alicubi cœptum est à reo, alibi verò perfectum. Cùm enim in *d. l. 1. C. d. t.* vox COMMISSA referatur ad præcedentem dictionem CRIMINA, convenit, ut ad vocem eandem referatur etiam dictio INCHOATA. Quod cum sit, certè criminis appellatio non aliam significationem assumit in voce INCHOATA, quàm quæ est in voce COMMISSA. Hâc autem in dictione CRIMEN significat ipsum MALEFICIUM, non criminis accusationem, siquidem non accusatio, sed crimen comitti dicatur. Qui a. accusat reum in iu-

55

56

in iudicio, ille non inchoat crimen, id est maleficium in ipso Iudicio, cùm antea inchoatum & perfectum sit à reo, sed inchoat tractationem causę criminalis. Et quia Impp. *in d. l. 1. C. d. t.* de criminibus loquuntur extra judicium commissis; dubium est nullum, quin agant etiam de criminibus extra judicium inchoatis? Alioqui enim termini significatio ineptè ibi mutari diceretur.

17 Non tamen inficior, quòd vox CRIMEN interdum significet etiam criminis accusationem, ut *in l. defuncto. 6* ibi, criminis extincti. *ff. de publ. iud. l. hi tamen 11. §. 1.* ibi, ut crimen eis intendant. *l. in eum 15.* ibi, crimen intendere, *& l pen.* ibi, suspenso crimine. *ff. de accusat. l. 3. in princ.* ibi, crimen publicum instituere. *l. si ea 7.* ibi, quæ crimen intendit. *C. de his qui accus. non poss. l. adultera. 15.* ibi, crimen contra eum inchoatum; *C. ad L. Iul. de adulter.*

18 Est insuper tertius locus instituendi accusationem, ut cuiusvis criminis, sic & adulterii, nimirū in quo reperitur adulter, itemq; adultera, *d. l. 1.* ibi, vel ubi reperiuntur, qui rei esse perhibentur criminis, *C. ubi de crimin. agi oport.*

19 At controversum est, an hoc de omni omninò intelligēdum sit loco, vel quò reus, aut rea

domicilium habet? Posterius hoc placuit Azoni, & post ipsum Accursio, aliisque in *d.l.1. C. d. t.* placet idem Ernesto Cothman. *respons. 29. num. 287. vol3.* Existimant enim ita demùm accusandum esse reum in loco ubi reperitur, si ibidem domicilium habeat, non etiam alibi, licet ibi repetiatur, nisi vagabundus fuerit, cuius domicilium non est certum, proindè etiam extra domicilium in loco, ubi reperitur, accusari possit.

Verùm propior est veritati illorum sententia, qui volunt, quòd etiam extra locum domicilij, ubicunque reperitur, accusari possit reus. Tùm quia disertè & generaliter id definiunt Impp. *in d. l.1.* ibi, ubi repetiuntur, *& l. seq. his verb.* ubi degit, ibi caussam cognoscet. *Cod. ubi de crimin. agi oport.* Tùm quia si Impp. utroque illo loco verba restringi voluissent ad locum duntaxat domicilii, verisimiliter addidissent particulam DOMICILII, vel voculam UT PLURIMUM. Quia autem absque ullâ eiusmodi restrictione generaliter loquuntur, intelligendi sunt de quovis loco, etiam in quo criminis reus versatur, licet ibi domicilium non habeat.

Tùm postremò quia Impp. *in d. l. 1. & d. l. 2. C. d. t.* tria distincta definiunt loca, in qui-

 bus

bus criminis reus conveniri possit, ut sunt locus domicilij, locus commissi criminis, & locus ubi reus reperitur, non potest verè dici, quòd locus ille tertius hoc sensu intelligendus sit, si ibi reus domicilium habeat.

Idq; præter alios sentiunt quoq; Vulteius *in d. l. 1. num.* 4. C. *d. t.* & Anton. Faber *in Cod. Fabriano, eodem illo tit. definitione 1. num. 2. & 3.* ubi disertis scribit verbis, quòd in eo etiam loco, ubi delictum commissum non est, possit reus conveniri, si ibi inveniatur.

60 Item quòd æquè competens sit Iudex loci, ubi delinquens reperitur, atque Iudex loci, in quo delictum admissum est, Comprobat denique hunc intellectum hodierna Praxis, quòd nimirum criminis reus quocunque in loco reperitur, indistinctè conveniri, & accusari possit.

61 Non obstat *l. 2. C. de Iurid.* ubi dicitur, quòd ibi tantùm reum convenire oporteat, ubi domicilium habet, vel tempore contractus habuit. Pertinet enim lex illa ad civiles causas, non etiam ad criminales quæstiones.

62 In criminalibus forum nusquam definitur solo domicilio. Et quia Interpretes statuunt,

tuunt; quòd reus criminis conveniri possit eo in loco, in quo plurimùm versatur, mirum est, quòd negant, criminis reum conueniri posse, ubi reperitur, si ibi domicilium non habeat.

63 Cæterùm quæri hoc loco potest, num Princeps vel Comes alicuius provinciæ, aut Civitatis Imperialis Magistratus, in cuius territorio crimen adulterii admissum est, desiderare possit ab alterius loci Magistratu superiore in cuius districtu reus adulterij reperitur, ut ipsum reum ad delicti locum remittat? Hanc quæstionem dubiam esse, & controversam, ex monumentis Dd. nostrorum cognoscitur. Affirmatiuam probat text. *in l. solent. 7. ff. de custod. reor. Novell. 134. cap. 5.* Tùm etiam *in Clement. Pastoralis, §. nos quoque, §. quod si punitio, & §. cæterum, Tit. de sentent. & re iud.* quibus ex locis apparet, quòd scribere soleant Provinciarum Præsides, aliique Magistratus ad eum Magistratum, sub cuius territorio criminis reus agere dicitur, & desiderare ab illo, ut ad commissi criminis locum remittat reum, & quòd eiusmodi literis obsequi teneatur Magistratus ille, & criminis reum cogatur remittere; multi ex Dd. sentiũt, quos refert Nicol. Boer. *decis. 29. n. 1. 2. & 3.* Atq; horũ opinio firmatur textu *in No-*

*vell.114.c.5.si verò quis comprehensorũ §.si verò cognoscatur*, ubi Cuiac. Quia, ait, Præses ad Præsidem alterius Provinciæ, in quam reus transfugit, publicam epistolam scribit, ut reum remittat, cui omnimodò parendum est.

64 Negativæ autem assistit Gloss. & Bart. *in l.si cui.7.§.ult.ff. de accus.* qui volunt, quòd Iudex alterius Provinciæ, in quâ reus, qui transfugit, moratur, non de necessitate, sed tantùm de urbanitate reum remittere teneatur. Salicetus quoque, ut testatur Boer. *decis. 29. num.2.in fin.* sentit, quòd Iudex ille literis requisitus, ut remittat reum, de facto, & præcisè cogi ad hoc non possit, cùm par

65 in parem non habeat Imperium. *l.nam Magistratus.4.ff.de recept.qui arbitr. recep.* De consuetudine etiam huiusmodi remissiones non amplius habere locum, testatum faciunt Ang. *in l.heres absens. 19. ff. de iudic.* & Bald. *in l.requirendi 2.in 3.colum.C.de servis fugit.* Bartholom. Socin. *in Regula 415. vers. fallit sextò,* & alii, quos memorat Boer. *d. decis. 29.n.6.*

66 Rationem autem cur remissiones illæ in desuetudinem abierint, Castrens. *in d.l.1.n.3. vers in Glossa secunda. C. ubi de crimin. agi oport.* hanc assignavit, quòd eo tempore, quo in usu erant remissiones illæ, Romanum Im-

perium

perium eiusdemque Provinciæ omnes absolutè uni suberant Imperatori, & violato per commissum delictum territorio unius provinciæ, universum Imperatoris territorium violatum censebatur, proindeq; unius provinciæ Iudex requisitus, necesse habebat, ad alterius Iudicis requisitionem reum criminis transmittere, eò quòd utriq; Imperator mandandi potestatem habebat: Atque hæc ratio colligitur quoque ex traditis Boerij *d. decis. 29. num. 6.*

Cùm autem hæc ita se amplius non habeant, Imperii statu mutato, sed quæque provincia hodie illius sit status, qui ei præest, dici amplius non potest, unius territorio per crimen violato, etiam alterius territorium esse violatum, ut eleganter scribit Vulteius *in d. l. 1. numero ult. C. ubi de crimin. agi oport.*

Et de consuetudine Germaniæ idem testatur And. Gail lib. 1. *de pace publ. cap. 16. n. 30.* his verbis: observandum quoque captum in alieno territorio ex consuetudine Germaniæ non remitti ad locum delicti, sed in loco captivitatis forum & iudicium sortiri, & ibidem supplicium subire, die vberschickung der Gefangenen hat nicht statt. Addit tamen ibidem ipse Gail, quòd soleat in Ger- 67 68

maniâ, & plerisq; Provinciis in atrocioribus maximè delictis propter exemplum, ad locum delicti precariò, & Iure amicitiæ, ac vicinitatis atque benevolentiæ fieri remissio, idq; sub literis reversalibus Magistratus sive Domini remissionem petentis, quo videlicet remissio isthæc remittẽtis Iurisdictioni non sit futura nocumento, sed sine præiudicio, Auff einen Reverß/ oder gegen Bekantnuß.

69 Quòd si delinquentem Reum vel originis, vel domicilii ratio subiecerit Iurisdictioni eius, ad quem remissio postulatur, & petens remissionem fieri, præsit territorio, in quo crimen admissum est, remissio hæc Iure peti potest, & non facilè ea petenti denegari debet, cùm hoc casu duplex Ius concurrat in personâ Iudicis petentis remissionem, & mutuis eam in rem auxiliis Iudices omnes sibi invicem subuenire meritò debeant, ne delicta impunita maneant, dum Iudices de Iurisdictione contendunt, ita ex Gloss. & Dd. tradit Anton. Faber *in d. Cod. Fabr. Tit. ubi de crimin. agi oport. definit. 1.*

70 Non facilè autem vel in hoc adulterij, vel quo alio crimine remissio isthæc impetratur, nisi petens eam requisita quædam impleuerit, quæ adducit Guido Papæ *in decisionib. Grationopolitanis quæst. 202. & ibidem* additionator *sub lit. C.* & Oldrad. de Ponte

cons.

*conf.124.* quæ hęc ſunt: Primò Iudici remittenti aliqualiter conſtare debet, ex petentis remiſſionem literis, quòd crimen, de quo agitur commiſſum fuerit, *arg.l. 1.§. item illud. ff. ad SCtum Silan. & l. interdum. 16. §. 1.ff. de public. & vectigal.* Secundò requiritur ut crimen illud ſit grave, pro minimo ęnim delicto fieri non debet remiſſio, Dominicus de Geminiano *in c. Romana,§.contrahentes,Tit.de foro compet.in 6.* Tertiò conſtare debet, crimen fuiſſe commiſſum in territorio iudicis requirentis rẹmiſſionẹm. *l. 1. ibi* commiſſa. *C.ubi de crim. agi oport. l. 1. §. 2.ff. de requirend. reis. & l.1.C. ubi cauſa ſtatus.* Quartò requiritur etiam ut Iudẹx remittens debito modo per publicas requiratur literas, ut remittat criminis reum, per text. *in d. Novell.134.cap.5. ſi verò.* Quintò ut iudex ille, à quo petitur remiſſio, minoris ſit poteſtatis, quā qui remiſſionem fieri deſiderat, Oldr. *d.conſ.124.num.4.* quem ſequitur additionator *in notis ad d.quæſt.* Guid. Papæ *202.ſub lit.* C. Sextò rẹquiritur etiam, ut remiſſio pẹtatur inter illos, qui eidē Imperio ſubditi ſunt, Bald. *in l. 2. verſ. ſed nūquid, C.de ſerv.fugit.* quem ſequitur idem additionator ad d. Guidonis Papæ *quæſtionem 202.ſub, lit.* C.

71

His requiſitis adduntur à quibusdam & alia, quorum unum eſt, ne reus ſit vaga-

bundus, ut qui certum non habeat domicilium. Alterum, Ne reus de hæresi accusetur, sed Guido Papæ duo isthæc requisita se non vidisse observari scribit *d. quæst. 202. n. 2. vers. tertiò, & vers. quartò*, De vagabundo videri quoque potest opinio Panorm. *in c. ult. col. 8. vers. sed circa hæc quæro. Extr. de foro compet.*

Memorata autem reliqua sex requisita notanda esse docet Guido Papæ *dict. loco*, tùm quia quotidie occurrant in facto, tùm etiam quòd alibi non reperiantur ita simul collecta. Consulenda quoque elegans Glossa *in dict. Clement. pastoralis, in verb.* de more, *Tit. de sentent. & re iud.*

72 In quæstionem vocari & illud hoc loco potest, si adulterium vel aliud crimen quodam mandante admissum sit, qui diversi fori domiciliũ habeat, an in loco ubi domicilium habet, qui mandavit delictũ fieri, accusatio institui debeat, vel in loco perpetrati delicti? Sunt qui putant, attendendũ hîc esse locum, in quo mandans degit, & delictum fieri mandauit, non etiam locũ, ubi admissum est delictum, ita sentit Dynus, & Petr. de Bellapertica, ut refert Bart. *in l. si ut proponitur 61. ff. de fideiuss.* Idem tenet Gloss. *in c. unic. Tit. de consecrat. Eccles. vel Altaris. lib. 6.* & Hugol. *in c. de Ecclesiis Tit. de consecrat. distinct. 1.*

At contrarium sentiunt pleriq; alij Dd, quos

quos memorat & secutus Guido Papæ *Dec.h. Gratianopolitana. 104.* consentit Bart. *in d.l. si ut proponitur, col.1. vers. quæro an ibi, & in l. non solum. 11. §. si mandato, col. 3. vers. quæstio unde oritur. ff. de iniur.* Bald. *in l. 1. C. ubi de crimin. agi oport. & in l. ult. col. 3. vers. pone consuetudo. C. si à non compet. Iud. iudic. esse dicatur.* Iacob. Aretin. ut refert Bart. *in d. l. si ut proponitur,* Iacob. Butrigar. *in l. non ideò minus. 5 C. de accusat.* Salic. *in l. in causis, 16. C. d. t.* Panorm. *in c. ult. vers. item dubitatur de mandâte. Extr. de foro compet.* 71 Qui omnes tenent, quòd maleficium dicatur committi in loco ubi fit, non in loco ubi mandatur, proindè in loco delicti commissi reum sortiri iudicem. Et hanc posteriorem opinionem iudicat æquam & rationib. magis roboratam Guido Papæ *d. decis. 104.* & Anton. Faber *in Cod. Fabriano, Tit. ubi de crimin. agi oport. defin. 2.* hâc ratione, quòd non tàm mandatum, quàm admissum delictum accusationi & condemnationi causam præbeat; quam rationem consideravit quoque Bald: *in d. l. ult. num. 17. C. si à non compet. iud. iudicat. esse dicatur.* his verbis: Hæc obligatio oritur in loco homicidii, & non in loco ubi fieri mandatur: & hoc probo ex titulo criminis, quia titulus criminis est homicidium, non mandatum.

His non obstat quòd Impp. *in d. l. 1. C. ubi*

 *de cri-*

*de crimin. agi oport.* locum accusationis maleficij cõstituunt etiam, ubi crimen inchoatur.

74 Quando enim crimen committi mandatur, non dicitur inchoari crimen, sed inchoatur illud, cum ipsum facinus realiter suscipitur, geriturq́; : quod cum fit non in mandantis, sed crimen exequentis loco, in eo etiam inchoari dicitur crimen, non in loco domicilii mandantis.

75 Mandans tamen crimen committi cùm ex suâ personâ propter mandatum teneatur, *l. non ideò minus 5. C. de accus.* in loco domicilij sui ubi mandavit crimen committi, accusandus est, *per text. in d. l. 1. C. ubi de crim. agi oport.*

76 Dispiciendum nunc, quo ordine adulter & adultera accusari de adulterio possint. Cõstãte matrimonio Iure Codicis maritus uxorem suam adulteram accusare de adulterio prohibebatur, *l. crimen 11. C. ad l. Iul. de adult.* At Iure Novellarum constitutionum licet marito uxorem etiam durante adhuc matrimonio accusare de adulterio, *Novell. 117. c. 8. & Auth. sed novo Iure, C. ad L. Iul. de adult.*

77 Extraneo autem constante matrimonio permissum non est adulteræ accusationem inferre, nisi prius lenocinij maritum accusaverit, *l. constante. 26. ff. d. t.* Et potest maximè extraneus maritum lenocinij accusare, si is

uxorem suam in adulterio deprehẽsam non dimiserit, *l. auxilium 37. §. 1. ff. de minorib. l. 2. §. 2. l. miles 11. §. ult. l. si quis 33. §. 1. ff. ad l. Iul. de adult. l. crimen lenocinij 2. l. castitati 9. & l. sine metu 17. C. d. t.*

78 Non potest autem maritus vel extraneus simul adulterum & adulteram ex eâdem causâ adulterij accusare, sed ordine peragere utrosque iubetur, *l. 1. §. accusationem 10. vers. at quia idem. ff. ad SCtum Turpill. l. reos 8. C. ad L. Iul. de adult.*

Et quidem prius adulter accusandus est: quo peracto, convictoq; & condemnato, ad adulteram quoque devenire accusator potest, *l. 2. in princ. l. nuptam. 5. in fin. l. miles 11. §. licet 11. ff. d. t.* Sed verum illud intelligi debet, si adultera jam alij nupta sit, & quidem ante mariti denunciationem, quòd ipsam adulterij accusaturus sit, *d. l. 2. in princ. l. denunciasse 17. §. quaeritur 6. ff. d. t.*

79 Quòd si verò adultera in viduitate jam degat, aut post repudium & denunciationem mariti, quòd adulterii cum ipsa acturus sit, alij nupserit, in arbitrio est accusatoris mariti vel extranei, num prius adulterum, an adulteram accusare velit, *l. 2. in princ. l. nuptã 5. l. qui uxori 6. & l. seq. ff. ad l. Iul. de adult.*

80 Vtrumque adulterũ & adulterã simul accusare nemo potest, *l. si maritus 15. §. ult. ff. eod. tit.* Quòd

*tit.* Quòd si quis eos simul detulerit, nihil agit, poteritq; quasi neutrum detulerit, rursus à quo velit, initium facere. *l. si maritus 15. §. ult. ff. d. t.*

Etsi verò ambo adulter & adultera interdum ab eodem, ut dixi, simul accusari non possint, à diuersis tamen singuli possunt accusari, *l. denunciasse 17. §. quaeritur 6. ff. d. t.*

Quo autem casu prius accusandus est adulterii reus, expectabit mulier, donec sententia de adultero lata fuerit. Quòd si reus adulterii absolutus fuerit, mulier per eum vincet, nec ultrà accusari potest: si condemnatus fuerit vir, mulier non est condemnata, quocirca etiam cum ipsâ agi de adulterio potest, quę fortassis obtinere vel gratiâ, vel iustitiâ, vel legis auxilio posset. Fieri quippe potest, ut accusatus adulterii reus, inimicitiis oppressus sit, vel falsis argumentis, testibusq; subornatis apud Iudicem gravatus, qui aut noluit, aut non potuit provocare, Mulier verò Iudicem religiosum sortiatur, ac pudicitiam suam defendat, *d. l. denunciasse 17. §. quaeritur, & l. adulter 19. §. nupta, ff. ad l. Iul. de adult.*

Et licet eo tempore, quo eligebatur adulterii reus, adultera nupta non fuit, quo autem absolvebatur nupta inventa fuit dicendum

dum est, absoluto quoq; adulterii reo, adulteram accusari posse: quia eo tempore, quo adulter eligebatur, nupta non fuit, *d.l.adulter. §. si eo tempore, ff.d.t.*

81 Quid verò si reus adulterii antequam condemnetur, vel antequam cum ipso agi cœperit, diem suum obierit, numquid hoc casu sine exceptione mulier accusari poterit? Vlpian. ICtus affirmare illud dubitavit nihil, *in d.l.denunciasse 17.§.ult.& l.seq.& l.adulter. 19. in princ.ff. ad L.Iul. de adult.*

82 Videndum quoque nunc quâ formâ & modo instituenda sit accusatio adulterii. Forma isthæc solennibus quibusdam continetur Iuris beneficio comparatis, *l. ea quidem 7.* ibi, solennia accusationum, *C. de accusat. l. si crimen 10.* ibi, solennibus te inscriptionibus astringe, *C. de his, qui accus. non poss. l. non prius 7,* ibi, quam solennibus satisfecerit, *C. de calumniat.* Solēnia autem ea concluduntur tùm postulatione ipsius rei, *l. si adulterium 38.§.ult. & l.seq.§.in matrimonio, ff. ad L.Iul. de adult.* Tùm legitimâ libelli inscriptionis, siue accusationis conceptione & ordinatione, *l. 3 in princ. & §. 1. ff. de accusat.* Tùm etiam satisdatione accusatoris, quòd perseveraturus sit in crimine persequendo usque ad sententiam, *l. 3. C. de his qui accus. non poss.*

Postu-

83 Postulatio rei præcedit eius accusationem, ut arguit textus *in l. si adulterium 38. §. ult. ff. ad L. Iul. de adult.* ubi Papinianus ICtus, reus quidem, ait, postulatur, sed differtur accusatio. Reus igitur prius postulatur, quàm accusatio instituitur, quod tradit etiã Cuiac. *in comment. in lib. 36. quæst. Papin. in explic. d. l. 38. §. ult. ff. ad L. Iul. de adult. pag. 209. & in lib. 2. Papiniani de adulteriis, in explicatione l. aut privatim, 10. ff. ad SCtum Turpill. pag. 672.*

84 Dicitur autem reus postulari, quando desideratur, ut ipse criminis reus recipiatur inter reos, *l. vim passam 39. §. in matrimonio, ff. ad L. Iul. de adult.*

85 Hoc enim ordine res agitur: Defert accusator reum ad competentem criminis iudicem, ac postulat ut Iudex ille nomen delati rei recipiat, Cuiac. *in paratit. ff. tit. de accusat. & inscript. & in d. l. 38. §. ult. ff. ad L. Iul. de adult.*

86 Isthæc autem rei delatio & postulatio fit vel oblatione libelli inscriptionis, vel apud acta accusatoriæ querelæ depositione, *l. si quis 8. C. de accusat. l. cum quidam 21. vers. & postquam;* ibi, inscriptionum paginâ apud competentem iudicem depositâ *C. de fid. instrumẽtorum.* Cuiac. *in comment. in lib. 2. Papin. in explicatione l. aut privatim 10. ff. ad SCtum Turpill. & in paratit. C. ad. de accusat. & inscript.* De inscriptione est

ne est quoque *text. in c. qualiter & quando 24. §. verum ita & §. pen. Extr. de accus.*

87 Libellus autem ille inscriptionis, qui etiam pagina inscriptionis dicitur *in l. 3. C. de his qui accus. non poss. & d. l. cum quidam 21. C. de fid. instrument.* Libellus inquam ille est, quo accusator coram competente Iudice criminis magnitudinem per eius circumstantias exponit, ipsumq; reum à se peractum iri, testatur, *l. 3. in princ. & § item subscribere. & l. si cui 7. ff. de accusat.* Guiac. *in paratit. ff. de accusat. & inscript. & lib. 1. observ. cap. 20.*

88 Vt autem conceptio & ordinatio libelli illius legitima sit, continere debet primò iudicem competentem, coram quo fit rei delatio & accusatio; tùm criminis, quod defertur speciem, tùm nomen accusatoris, & personá, quæ commisit adulterium, & cum quâ illud commissum est: tùm locum in quo adulterium est admissum: Tùm etiam mensem, quo adulterium est perpetratum: Tùm postremò subscriptionem ipsius delatoris sive accusatoris, propriâ ipsius manu, vel si scribere nequeat, manu alienâ exaratam, *d. l. 3. in princ. & §. Item subscribere, & l. si cui crimen. 7. in princ. & l. si quis 13. ff. de accusat. l. in causis 16. & l. ult. C. d. t.* Confert quo ad subscriptionem *l. ult. ff. de privat. delict. & l. ult. ff. de furt.*

Eâ

89 Eâ autem subscriptione testari debet accusator, se professum esse, *d.l.3.§. item subscribere, ff. de accus.* hoc est quòd talem accusationis libellum contra ipsum reum ediderit, & perseuerare velit in peragendo reo, usque ad sententiam, *l. si cui 7. in princ. & ibi* Gloss. in verb. perseueraturos. *ff. d. t.* Gloss. *in d.l.3. in verb.* subscribere. *ff. eod. tit.* Atque hoc sensu Paulũ ICtum *in d.l.3.§. item subscribere, ff. de accus.* explicat etiam Cuiac. *dict. lib. 1. obseruat. cap. 20.* his verbis: Certi Iuris est, ad inscriptionem libelli accusatorem exigi, quâ scil: cuius criminis alium reum deferat, ipse profiteatur: & subscriptionem, quâ se id professum esse, ac reum à se peractum iri de-

90 claret. Eiusmodi autem subscriptio, vi suâ accusatorem in pœnam talionis obligat, ut etiam Symmachus testatur *lib. 1. epistolar.* Quid habeat, inquit, cõditionis inscriptio nostris. Prouisum est enim ne quis temerè in alieni capitis discrimen irrueret, nisi sei dem prius pœnæ sponsione vinciret. Idque patet etiam ex textu *in d.l. pen. C. de accusat.* ubi Impp. Arcadius & Honorius, in causis, aiunt, criminalibus dignum est, ut inscrpitiones proponantur, quæ magnitudinem videlicet sceleris, tẽpusque designent, vt alterutram partem digna legum terrere possit authoritas. Alterutram,

rutram, aiunt, partem, id est vel accusatorem, vel reum, accusatorē si fefellerit; Reum si accusator vera detulerit. *l. non prim* 7. *C. de calumniatorib.* Cuiac. *libr.1.obseruat.c.20.* Idem evincitur *ex d.l.si cui 7. in princ. ff. de accus.* Vbi ICtus Vlp. si cui, ait, crimen obiiciatur, præcedere debet in crimen subscriptio: quæ res ad id inventa est, ne facilè quis prosiliat ad accusationem: cùm sciat inultam sibi accusationem non futuram. Quibus ex Iuris textibus liquet, quòd ipsa subscriptio vi suâ accusatorem ad talionis obliget pœnam, licet non dicat accusator in ipsâ subscriptione, quòd ad talionem obligatum se velit, ut & Cuiac. sentit *d. lib.1.obs.cap.20.* Quāvis Glossa id requirat *in d.l.3.* in verb. subscribere, *& in d.l.si cui 7. in princ.* in casu ibi proposito, & in verb. perseveraturos, *ff. de accus.* Glossam sequitur Ius Canonicum *in c. tua, 5. Extr. de procuratorib.*

91 Quòd si hoc modo ac formâ accusationis libellus nō sit ordinatus, aboletur rei nomen & ex integro potestas fit repetendi reum, reamvè, *d.l.3. §.1. ff. de accus.* Ne autem criminis causa aboleatur, emendare potest accusator libellum, modò tēpus correctionem erroris admittat, *l. accusaturus. 35. ff. ad L.Iul. de adult.* Quod tempus triginta diebus

G utilib.

utilib. definitum est, post quod tempus aliis ex integro ut dixi, potestas datur repetendi reum, *d. l. 3. §. ult. ff. de accus. & l. aut privatim 10. §. ult. ff. ad SCtum Turpill.*

92 Si verò non sit correctus accusationis libellus inordinatè conceptus, Ipso Iure nullus est. Cùm enim accusationis ordo authoritate Legum institutus sit, & præcisè jubeatur observari, *l. ult. in princ. C. de accusat.* patet inde, inutile esse, & pro infecto haberi, quicquid cōtra eum deprehenditur factum, *l non dubium, C. de legib.* ita ut nec exceptione contra informem eiusmodi libellum sit opus, Marant. *de ordin. iudic part. 4. distinct. 16. n. 41.* Iul. Clar. *lib. 5. sentent, §. ult. quæst. 12. n. 9.* Andr. Gail. *lib. 1. obs. pract. obs. 64. n. 9.* Mynsing. *respons. 89. num. 6. 7. & 8. decad. 6. & cent. 2. obs. 32.*

93 Ratio autem cur loci & temporis, putâ mensis omissio in accusatorio libello vitiet ipso Iure accusationem, hæc esse creditur, quòd harum circumstātiarum omissio accusationem reddit incertā, & reo defensiones subtrahit, quas habere posset, si docuerit, ꝙ loco & tempore in accusationis libello expresso alibi fuerit, quâ probatione præstitâ etiam testes ab accusatore productos falsitatis arguere pōtest, Iul. Clar. *lib. 5. sentent. § furtum, quæst. 12. num. 9. in fin.* & Andr. Gail. *lib. 1. obs pract. obs. 64. num. 3. & 9.*

Patet

Patet hoc ipsum ex historiâ de duobus senibus, accusantibus de adulterio innocentem Susannam, apud Danielem cap. 13. cum unus sub schino arbore illâ, quæ etiam lentiscus dicitur, alter sub pino adulterium commissum diceret.

95 Quòd si ad vitiosum & nullum huiusmodi libellum processus fiat, & sententia feratur contra accusatum, nullitatis vitio eam laborare certum est: proindeq; executio illius frustra suscipitur. Omnis quippe sententia, contra solitum iudiciorum ordinem prolata, nulla est, *l. 4. C. de sentet. & interlocut omn. iud. c. examinata, Extr. de iudic. l. fideiussor 32. vers. ob eas res, ff de negoc. gest. l. 1. in fin. princ. ff. si mens. fals. mod. dix.* Mysing. *resp. 59. n. 6. & 7. decad. 6. & d. cent. 2. obs. 32.* Andr. Gail. *obs. 127. n. 3.* Vant. *de null. sententia ex defectu processus, n. 18. & seqq.*

96 Si tamen ex rei confessione iudiciali appareat locus & tempus admissi criminis, prætermissio harum circumstantiarum non vitiat inscriptionis libellum, Socin. *cons. 146. num. 18. vol. 1.* Mysing. *cent. 2. obs. 32. vers. pro conciliatione sic distingue.* Cùm enim loci & tẽporis expressio in cõmodum ipsius rei desideretur in libello, nihil eâ opus est, si ipsemet reus in Iudicio has fateatur circũstantias.

97 Quòd si locus indeterminatus in libello inscriptionis sit expressus, non etiam per cohærentias & confinia designatus, valet libellus, ut sentit Socin. *d. conf. 146.* Iul. Clar. *d. quæst. 12.* & Mynsing. *d. cent. 2. obs. 32. vers. sed pone.* Potest enim accusator ipsum locum posteà determinare, si reus excipiat contra libellum, Albert. Gandin. *tract. de maleficiis, Rubr. qualiter fiat accusatio, n. 3.* & Mynsing. *d. cent. 2. obs. 32.*

98 Etsi verò mensis quoque commissi facinoris huius exprimendus sit in accusationis libello, dies tamen & hora necessariò ipsi inscriptionis libello inferenda non est, *d. l. 3. in fin. princ. ff. de accus.* ubi Paulus ICtus neq; enim, ait, diem, neque horam invitus comprehendat.

99 Quid verò si reus accusatus diem commissi facinoris ad sui defensionem adponi desideret, numquid ad eius instantiam accusator diem quoque libello adiicere iubetur, ut si fortè reus probare velit, se eo die alibi fuisse? Est certè hæc controversa quæstio, Bart. affirmat *in l. si qui reus 5. num. 10. ff. de publ. iud. & in l. arbitraria 2. §. si quis Ephesi, 2. num. 6. ff. de eo quod cert. loco.* Affirmat quoque Follerius *in pract. crim. vers. audiantur exceptiones, n. 49.* Item Gigas *tr. de crim. læsæ Maiest. quæst. 3. num. 2.*

n.2.& seqq. Iul. Clar. d.quæst. 12.num.13. Andr. Gail. lib. 1. obs. pract. obs. 64. num. 11. Emanuel Soarez in addit. ad Gomez.tom. 3. cap. 11. ad lit. D. Wesemb. in paratit. ff. tit. de accusat. n. 12. vers. si reus. At negant Ioann de Imola in d. l. si qui reus 5. col. antepen. ff. de publ.iud. Maranth. de ordin. iudic. part. 4 distinct. 16. num. 44. Ant. Gomez. d.tom. 3. cap. 11. num. 5. Mynsing. d. cent. 5. obs. 40. & Thomas Trivis. lib.2. decisionum causar.crim.decis.20. Negativæ patrocinatur quoq; textus in d.l.3. in princ. vers. ult. ff. de accus. ubi ICtus Paulus disertè scribit, quòd accusator invitus non comprehendat in inscriptionis libello diem & horam; unde patet, quòd licet reus criminis exigat diem & horam in libello exprimi, ipse tamen accusator ad hoc compelli non possit. Quæ sententia confirmatur & hâc ratione, quòd sæpe numerò contingit, ut quis non meminerit, quid, quoque die & hora acciderit, & proindè accusator facilè errare posset in diei & horæ mentione, cùm hominum memoria labilis sit, & infirma l. peregrè 44, ff. de adquir. vel amitt. poss. l. si arbiter 28. ff. de probat. & testatur Iustin. Imp. in orat. de confirmat. Digestor. §. sed etsi quid forsitan. atque ita occasio daretur criminis reo quærendi effugia, contra l. 1. §. editiones, ff. de edendo, siquidem in-

G 3 struere,

struere, & corrumpere posset testes, qui dicerent, quòd ipso dicto die & horâ alio visus sit loco; & ita delictum sæpè maneret impunitum, contra *l. ita vulneratus 51. vers. quod si quis. ff. ad L. Aquil.* quo argumento utitur quoque Ant. Gomez *d. cap. 11. n. 5. vers. item etiam facit.* Negativam hanc eò tutius etiam sequi possumus, quòd Camera Imperialis eam amplectitur, testãte Mynsing. *cent. 2. obs. 40.* Nihil decerpit pronunciato huic neganti, quòd Iudex interrogare potest accusatorem, quo die admissum sit crimen, ut sentit Augustin. Arimin. *in addit ad Ang. Aretin. tract. de malefic. in verb.* de anno præsenti, *n. 2.* Haud enim rectè infertur à Iudice ad ipsum reum, cùm nõ ut reus criminis, sic & Iudex partem litigantem interrogatione suâ decipere velle præsumatur: & liberum est Iudici in Iure litigatorẽ interrogare, quoties æquitas id suadet. *l. pen. ff. de interrog. in iur. faciend.* Cùm iudex omnia accuratè rimari debeat, *can. iudicantem 30. quæst. 5. & c. cum Iohannes,* ibi, Iudex debet universa rimari *Extr. de fide instrum. & l. 2. C. de sentent. ex periculo recitand.* at Iuris authoritas prohibet cogere accusatorem, ut ipse inuitus ad solam rei instantiam diem commissi criminis in libello exprimat, *d. l. 3. in fin. princ. ff. de accus.* Quòd si verò ex causis iu-

101

stis

ftis æquitas suadeat exprimi circumstantiam diei, iubere potest iudex accusatorē, ut quo die admissum sit crimen declaret, Fulv. Pacian. *de probat. lib.1.cap. 40.num. 35.*

Non est hîc omittenda quæstio, si accusator suâ quidem sponte in accusatorio libello diem & horam commissi adulterij expresserit, non autem probaverit, quòd eo die & horâ crimen illud sit admissum, num hoc casu ipso crimine probato ab accusatore, condemnandus vel absoluendus sit reus? De hâc quæstione extant contrariæ Dd. opiniones, quidam aiunt, hoc casu absolvendum esse reum, Bart. in *l. u qui reus. 5. num. 9. ff. de publ. iud.* Augustin. Ariminensis ad Angel. Aretinum *tract. de maleficijs in verb.* de anno præsente *num 3.* & Bertrand. *conf. 217. num. 2. lib. 6* ubi testatur, quòd ita communiter respondent Doctores: Alij verò sentiũt, reum probationibus conuictum, esse cōdemnandum, licet qualitatem diei & horæ non probaverit accusator, Anton. Gomez *tom. 3. comment. cap. 11. num. 6.* & ibidem Emanuel Soarez *in addit. sub lit.* E. & Iul. Clar. *lib. 5. sentent. §. fin. quæst. 12. n. 14.* Idem quoque sentire videtur Guido Papæ *in decisionib. Gratienopol. quæst. 553.* ubi scribit, quòd si qualitas adiecta in accusatione non alterat factũ, atq; ita non facit cessare accusationem propositam, ex eodē processu

102

103

condemnatio sequi possit: & addit ibidem, quòd de consuetudine non attendatur ad illam qualitatẽ, quæ non alterat factum. Conclusio hæc firmatur & hâc ratione, quòd solennitas aliquo in actu non requisita si interveniat, non vitiet ipsum actum, *l. heredes palam 21. in fin. princ. ff. qui testam. fac. poss. l. 1. §. fuit quæsitum, ff. ad SCtum Trebell. l. unic. in princ. C. de rei uxor. act.* Andr. Gail. *lib. 1. obs. pract. obs. 66. num. 15.*

104 Confert, quòd accusator diem in libello adiecisse videtur potius demonstrationis, quàm necessariæ dispositionis, & coarctionis gratiâ; quippe cùm nemo præsumatur eam elegisse viam, per quam intentio sua impugnari possit, *argumẽto l. si miles 3. ff. de testam. mil.* Accedit quòd cùm accusator inuitus nõ teneatur diem & horam adponere accusationis libello, *d. l. 3. in fin. princ. ff. de accusat.* ne inuitus probare cogatur eam diei & horæ qualitatem libello insertam.

105 Postremò quando quis plura in libello exponit, quorum unum ad victoriam sufficit, probato eo, condemnatio fieri potest, *l. licet causam 9. §. iidem quoq; testes*, ibi, ad quod probandum Syndicus se astrinxit, *Extr. de probat.* ubi Gloss. tradit, sufficere ex duobus propositis alterum duntaxat probare, nisi quis specialiter se adstrinxerit ad probandum

utrum-

utrumque. Tradit idem Gloss. ordinaria *in c. si fortè, 11. Tit. de elect. in 6.*

Nihil obloquitur pronunciato huic text. *in l. denunciasse. 17. §. quid tamē. ff. ad L. Iul. de adult.* Casus enim ibi propositus est de accusatoris variatione in psonâ adulteri. At ꝓposita quęstio est de accusatore, qui cōmissi adulterij diem in accusationis libello expressit, at non probauit eo die patratum esse adulterium. 106

Cùm ergò certa persona, quæ commisit adulterium designanda sit in accusationis libello, non etiam dies commissi criminis necessariò adijciendus sit, ut docui suprâ ex *d. l. 3. in princ. ff. ad l. Iul. de adul.* Malè infertur à personæ variatione, ad non factam diei adpositæ probationem. 107

Neque etiam infirmat idem pronunciatum, quòd diversitas diei diversitatem quoq; criminis inducere videtur, & proindè non probato criminis commissi die in accusatione expressâ, nec ipsum propositum crimen probatum censeatur: Antecedens enim illud falsum est. Cùm ipsa dies patrati criminis non sit crimen, sed quædam criminis adiuncta circumstantia; in quâ si erret accusator, probet autem ipsam criminis dolo commissi substantiam, reus nō manebit impunitus, cùm non tàm circumstantia criminis, quàm ipsum corpus & substantia eius

spectanda sit. Quòd si igitur accusator in accusationis libello proponat, adulterium cōmissum esse septimo Ianuarij, cùm tamen perpetratum sit quinto eiusdē, error ille nihil officere debet accusationi, nec damnationem rei accusati impedire, modò ipsum facinus ab eodem accusato reo admissum esse probetur.

108 Ex prædictis oritur & hæc quæstio, an ut accusator locum & mensem commissi adulterii ponere tenetur in accusationis libello, ita & ipse reus suâ in exceptione has circumstantias exprimere debeat, putà quòd alio quodam loco & tēpore fuerit, cum delatum crimen esset admissum? Baldo placet negativa *in l. edita 3. n. 20. & 33. C. de edendo.* eaq; probatur quoq; post alios, quos refert Fulv. Pacian. *lib. 1. de probat. cap. 68. n. 14. & seqq.* Bart. verò amplectitur affirmativam *in l. 1. n. 8.* & ibi Castrens. *n. 3. ff. de except.* ut & Angel. *in l. Prætor edixit 7. in princ. n. 2. ff. de iniur.* itemq; plu-

109 res alii, quos citat Pacian. *d. cap. 68. n. 13.* Atque hanc aientem opinionem veritati propiorem iudico, Exceptiones enim peremptoriæ quib. uti reus intendit, in strictis Iudiciis proponi iubentur in initio, lite a. contestatâ probandæ sunt, *l. præscriptionem 8. & l. seq C. de except. & l. emptor. 9. C. de præscript. lōg. temp. & l. 2. C. sen-*

*2.C.sentent.rescind.non poss.* Donell. *lib.12. comment.cap 3.& libr.24. cap.2.pag.49.*

Tuetur quoque cõclusionem hanc, quòd reus excipiendo accusatoris partes sũstinet, *per l.1.ff.de except.& l.In exceptionib.19.in princ. ff.de probat.* Quemadmodum ergò accusator in accusationis libello ponere tenetur locum & mensem cõmissi criminis, *d. l.3. in princ. ff. de accusat.* Ita quoq; reus in exceptione & defensione suâ locum & mensem specificè comprehendere meritò iubetur. 110

Quam sentẽtiam iuuat & illud, quòd cum exceptio de loco & tempore ad eum proponitur finem, ut accusator repellatur à suâ impetitione, locus ille & tempus specificè exprimendum est, ut latè deducit Schrad. *tract. feud.part.2.partis 9.princip.sect.12.num.13.* 111

Etsi verò subscriptionis, quæ etiam ab accusatore desideratur, effectus sit talionis pœna, si per calumniã instituisse accusationem comperiatur accusator, ut suprâ eodem cap. docui, pœna tamen illa in desuetudinem abijsse Dd. cõmuniter tradunt, quos citãt Petr. Duennas *in fallent. Regularum Iuris, reg.27.vers. est tamen notandum,* Iul. Clar. *lib.5.sentent.§.fin. quæst.81.num.3.* Andr. Gail. *lib.1.de pace publ. cap.9.num.3.* Farinac. latè *tract. crim. de accus. lib.1.Tit.2.quæst.16.num.3.* ubi scribit, quòd de generali consuetudine talionis pœna ab 112

aulâ recesserit, atque hanc in sententiam varios Dd. longâ serie adducit. Iustin. quoque Imp. *in §. pœna autem, Inst. de iniur.* talionis pœnam abolitam esse testatur.

113 Cæterùm an ipsæ etiam inscriptiones & subscriptiones cum talionis pœnâ in usu esse desierint, quæri hîc potest? Affirmant quos referunt & sequuntur Covarr. *lib. 2. variar. resol. cap. 9. num. 1. vers. tametsi hodie,* Clar. *lib. 5. sentent. § fin. quæst. 12. n. 17.* Farinac. *dict. quæst. 16. num. 3.* Wesemb. *in parat. ff. tit. de accusat. n. 12. vers. etsi autem hodie, & in paratit. C. de iureiur. propter calum. num. 7.*

114 Verùm licet subscriptiones illæ amplius in usu non sint, eò quod ipsarum effectum, talionis scil. pœnam, consuetudo sustulerit, Iul. Clar. *d. lib. 5. sentent. §. fin. quæst. 12. num. 17. in fin.* attamen libellos inscriptionum, hoc est, accusationum sublatos esse, dicendum non puto, cùm publico in iudicio constare debeat certò, quis accuset, & qui accusetur, tùm quod & quale sit crimen, quod defertur, quo item loco, & quo mense patratum illud sit, ut specialiter de adulterio, & generaliter de omni alio crimine cautum est *in d. l. 3. ff. de*

119 *accusat.* Cùm igitur alius sit inscriptionis libellus, alia ipsa subscriptio accusatoris, ut arguit *d. l. 3. in princ. iunct. §. item subscribere, & d.*

*l.si cui crimen, in princ.ff.d.t. l. 2. l.de crimine 12. C.de his qui accus. non poss. l. ult. ff.de privat. delict.& l.ult.ff.de furtis.* Idque etiam ex nominum diversitate intelligatur, quæ & rerum denotat diversitatem, *l.si idem 7. C. de codicill.* quàmvis interdum in Iure nostro inscriptionis nomine significetur & ipsa subscriptio libelli inscriptionis, *l.1.C.ad SCtum Turpill. l.1, l.3 .l.si crimen. 10.l.neganda 19.C. de his qui accus. non poss. l. quamvis 30. §. extraneos, C. ad L.Iul.de adult.* Cùm hæc duo olim simul & coniunctim requirebantur, & subscriptio pars quędā erat inscriptionis, ut iudicat *d.l.3. in princ. iunct.§. item subcribere, ff. de accusat.* Sublato per consuetudinem subscriptionis usu, non est dicendum, quòd & inscriptionis libellus in desuetudinem abierit. 116

Ratio autem cur subscriptionis necessitas consuetudine sublata sit, hæc esse dicitur, quòd rarò aliquis deferret crimen, & reum criminis publicè accusaret, si pœnæ similitudinem sustinere cogeretur, ob non probatum crimen, Iul. Clar. *d.quæst. 81. num.3.vers. scias tamen.* Farinac. *d.quæst.13.n.3.* Petr.Duennas *in fallent. Regular. d. reg. 27.vers. est tamen notandum,in fin.* ubi ratio, ait, ne propter antiquum rigorem accusatores retrahantur ab accusando, & sic delicta remanerent impunita, contra *l. ita vulneratus, §. pen. ff. ad L. Aquil.*

Est

117 Est & illud hic notandum, quòd licet olim regulariter qlibet accusator libello inscriptionis in crimen delatum subscribere cogebatur, maritus tamen uxorem adulteram Iure mariti accusans, non astringebatur subscriptionis solennitati, *d.l. quamvis. 30.* ibi, nec inscriptionis vinculo contineri. *C. ad L. Iul. de adult.*

118 Sed quæritur num ea lex correcta sit per Novell. *117. c. 8. Quia verò plurimas, §. si de adulterio?* Quidam, inter quos etiã Accurs. *ibid. in verb.* inscribere, & Cuiac. *in comment. de divers. temp. præscript. cap. 13.* affirmant. Nonnulli verò ex Græcis negant, existimantes sic intelligendam esse eam Novellã, ut maritus post sexaginta dies teneatur se subscribere, non intra tempus illud, quo Iure mariti accusat, atque ita exaudiendum esse putant textum *in d. l. quamvis 30. C. ad L. Iul. de adult.*

At quia Iustinianus Imp. eâ in Novellâ disertè loquitur de marito, qui accusat uxorem adulterij constante matrimonio, verior est Accursii & Cuiacij opinio, quãdo existimant Ius vetus, quod ad inscriptionem attinet, abrogatum esse eâ Novellâ: Ius tamen illud novum consuetudine, ut anteà ostendi immutatum est.

119 Ad accusationis formã pertinet, & illud, ut suprà etiam præposui, quòd accusator iu-

betur

betur cavere, quòd in accusatione rei usq; ad sententiam perseverare, & intra certũ tempus à Iudice præfinitum crimẽ probare, aut saltem criminis indicia verisimilia præstare velit, *l.3.& l.si ea 7. C.de his, qui accus. non poss. l. si cui 7. §. 1. ff. de accusat.* Peinliche Halßgerichts Ordnung Kayser Carls deß fünfften, *art. 12.* ubi etiam additur tertium, cuius nomine cautio fieri debeat, quòd scil: accusator, si contingat reum absolui, de illatâ ei per accusationem iniuriâ, & damno, itemq; expensis resarciendis obligatus esse velit: De quâ cautione latè tractat Farinac. *Tit. de accusatione, quæst. 16. num. 1. & seqq.*

Quod si autẽ accusator hanc cautionem præstare differat, ac nihilominus reum in carcerem deduci postulet, ipsemet quoq; corpore custodiri debet, donec idoneam cautionem, Iudicis, & quatuor adsessorum arbitrio pro sufficiente cognitam, præstiterit, Peinliche Halßgerichts Ordnung Kayser Carls deß fünfften *art. 12.* Fidejussores a. hîc pro criminis & personarum qualitate plures exiguntur, Damhoud. *in pract. crim. cap. 5.* 120

Sed dubitatur, an accusator Iuramentum quoque calumniæ in litis ingressu præstare teneatur? Affirmativa placet Iodoco Damhoud *in prax. crim. cap. 128. n. 3. & 4.* Iulio 121

Claro *lib. 5. sentent. §. fin. quæst. 18. num. 3.* Hanneton. *tract. de iudicior. ord. cap. de Iuram. calum.* & aliis, quos citat, & sequitur Farinac. *tract. crim. lib. 1. tit. de accusatione, quæst. 16. num. 28.* Negativæ subscribit Wesemb *in parat. Cod. tit. de Iureiur. propter calumn. num. 7.* Sichard. *in l. 1. num. 6. & 7. C. d. t. &* Cuiac. *in Novella 49. circa finem,* ubi datur, ait, calumniæ Iuramentum, non in criminalibus. Mihi Iuris authoritati, ac veritati aiens opinio cōsona videtur. Tùm quia in omnibus causis & litib. iuramentum hoc exigi iubetur, *l. 1. l. 2. in princ.* ibi, in omnibus litibus, *C. de Iureiur. propt. calumn. cap. 2 §. ult.* ibi, in omnibus causis, *Tit. de Iuram. calumn. in 6.* Quocirca etiam in causâ criminali jusiurandum calumniæ exigi potest, id quod sentit etiam Gloss. *in. d. l. 1. in verb.* quicquā, *C. de Iureiurando propt. calumn.* Tùm quia text. *in c. 1. & ibid. etiam Gloss. in verb.* criminali, *Extr. de iurament. calumn.* disertè requirit, ut tàm in criminali, quàm civili causâ iuramentum hoc præstetur. Tùm etiam quia Fridericus Imp. in constitutione de pace tenenda, & de incendiariis iuramentum hoc exigit quoque in causis criminalibus, ut testatur Cuiac. *in d. Novella 49. propè finem.* Tùm postremò, quia cùm generali consuetudine in usu esse desierit subscriptio accu- satoris

122

ſatoris in talionis pœnam, æquum eſt ut loco eius Iuramentum calumniæ ab accuſatore exigatur: Cùm enim olim ſubſcriptio iſthæc ſufficiebat, dicente Cuiacio *d. loco,* & tantum operabatur, quantum calumniæ Iuramentum, ceſſante nunc eâ ſubſcriptione, haud immeritò eius loco iuramentum hoc præſtandum erit, maximè cùm in criminalibus agendum ſit cautius, ut in quibus vita, corpus, aut fama reorum periclitatur.

123 Negatiuam Weſembecij non tuetur text *in l. ult.* C. *de calumniatorib.* quòd enim ibi calumniantes ad ſupplicii ſimilitudinem vocari dicuntur, exaudiendum illud eſt de caſu, quo accuſatores libello inſcriptionis ſe in crimen ſubſcripſerunt, ut textum illum ibidem Gloſſa quoque intelligit, ſicuti ex allegatis ibi textibus evincitur

124 Iuſtinianeo enim Iure nemo ad accuſandum admittebatur, niſi prius ſolennibus accuſationis ſatisfecerit, inter quæ etiam eſt ſubſcriptio accuſatoris in crimen, ut ſuprà oſtendi *ex d.l.3.l.de crimine 12.* C. *de his, qui accuſ. non poſſ. l. non prius 7. in princ. ff. de accuſat. l. ſi quis 13. l. pen. & l. ult. ff. d. t. d. l. ult. ff. de privat. delict. & l. ult. ff. de furt.*

Ex eo etiam quòd Iure ſcripto calumniantes accuſatores ad ſupplicij ſimilitu-

dinem vocantur, haud rectè inferri potest, quòd ipsi accusatores ad iurandum de calumniâ non teneantur. Cõtrarium enim evincitur ex Ciuilis & Canonici Iuris textibus, pro affirmatiuâ antea citatis.

125 Sichardi argumentũ hoc syllogismo concludi potest, Iuramentum calumniȩ ibi datur, ubi nihil pro obtinendâ causâ dari, aut promitti licet: *Novell. 124. cap. 1.* ubi Cuiac. In criminibus à. capitalibus potest reus adversario suo, ad redimẽdum sanguinem & vitam suam pecuniam dare vel promittere, *l. 1. ff. de bon. eorum, qui ante sent. mort. sibi consciv.* Ergò in criminibus capitalibus, quale est etiã adulteriũ, calumniæ Iuramentũ exigi non potest.

At respõdendum est, Syllogismum hunc ꝓpter quatuor terminos esse viciosum, propositi enim syllogismi ꝓpositio maior est de dãdo aut promittendo aliquid in dispendiũ partis adversæ: Minor verò capienda de dando aut promittendo aliquid in commodum partis utriusq;, ad redimendũ scil. rei sanguinem, & accusatoris pro remittendâ lite præmium. Quapropter nulla cùm sit connexio minoris ad maiorem, ex præmissis illis duabus inferri non potest, quòd in causis criminalibus calumniæ Iuramentum ab accusatore exigi nequeat.

Ab hâc responsione aliena non est Accursii Glossa *in d.l.1.in vērb. quicquam.C.d. iureiur. propt. calumn.* ubi licet, ait, permittatur redimere transigendo, non tamen calumniando: hoc est, licet transactio permissa sit reo & accusatori in causâ criminali, non tamen calumnia ei est permissa, sed transactio illa fieri debet absque calumniâ accusatoris. Et quia de adulterio transigi vel pacisci non potest *l. transigere 18.C. de trāsact.* sequitur ex eo, quòd accusator adulterii Iuramentum calumniæ præstare cogatur, juxta maiorem propositionem syllogismi propositi. 126

Quod ad Cuiacii attinet opinionem, pro eâ firmandâ utitur ipse *Novellâ Leonis 97.& 107* Sed licet utraq; illa Nouella agat de calumnię Iuramento quod est de litis contestatione, nullo tamen verbo indicat, quòd criminali in causâ Iuramentum hoc non præstetur ab accusatore.

Sub accusationis adulterii inspectione reliquum est, ut videamus, quo tēpore accusatio adulterii fieri possit? Quemadmodum actionib. certa præfinita sunt tempora, intra quæ institui possunt, *Tit. Inst. de perpet. & tēpor. action.* & illis præterlapsis, actiones perēptæ moueri amplius nō possunt adversus aliquē *l. si pupilli 6. §. ult. ff. de negoc. gest.* Sic & accusationib. constituta sunt certa tempora, q bus ela- 127

extincta dicuntur *l. 1. §. accusationem 10. l. In Senatus consultum 15. §. si propter 3. ff. ad SCtum Turpill. l. querela 12. C. ad L. Corn. de fals.* Tempus

128 autem intra quod adulterii accusatio institui potest, non in omnibus accusatoribus idem est. Si maritus Iure mariti, vel pater adulteræ ex privilegio suo accusare velit, sexaginta dies utiles ipsis computantur, intra quos extraneis præferuntur, *l. 4. in princ. & §. 1. l. Miles 11. §. sexaginta dies 6. l. si cum ope 14. §. pen. & l. seq. in princ. §. si negauerint 5. l. mariti 29. §. sex mensium 5. vers. præterea l. pater 30. §. 1. ff. ad l. Iul. de adult. l. adulter. 5. C. d. t.*

Sexaginta autem dies illi computantur in nuptâ ex die divortii, in viduâ verò ex die commissi criminis, *d. l. mariti 29. §. sex mensium, ff. d. t.*

129 Post sexaginta illos dies conceditur Ius accusandi etiam extraneis, sed intra menses quatuor utiles, *d. l. 4. §. 1. d. l. miles 11. §. sexaginta dies 6. vers. quod privilegium, l. mariti 29. §. sex mensium, ff. d. t.* Et hoc tempus post sexaginta illos dies utiles tribuitur quoque marito, & patri adulteræ tanquam extraneis, *d. l. miles 11. §. sexaginta 6. ff. eod. tit. l. Iure mariti 6. C. eod.*

130 Quatuor autem menses illi utiles ita sunt numerandi, ne quinquennium excedant

con-

continuum, ex die commissi criminis computandum, *l. miles 11. §. adulterij reum 4. l. mariti 29. §. sex mensium 5. & §. seq. l. quinquennium 31. ff. ad L. Iul. de adult. l. adulter. 5. C. eod. tit.* Cuiac. *in comment. ad tit. de divers. temp. præscript. cap. 24.*

131 Post quinquennium illud accusatio adulterij cessat, cessat & pœna eius, *d. l. mariti 29. §. sex mensium 5. vers. præterea, ff. ad L. Iul. de adult. d. l. 1. §. accusationem 10. l. Senatusconsultum 15. §. si propter 3. ff. ad SCtum Turpill. l. querela 12. C. ad L. Corn. de fals.* Ioann. Goedd. *in l. aliud fraus est 131. §. 1. num. 9. & seq. ff. de verb. sign.* Hieronymus Treutl. *in comment. ad Pandect. Tit. ad L. Iul. de adult.*

132 De accusatione adulterii hactenus: sequitur nunc de adulterii inquisitione. Inquisitio in genere est criminis indagatio, accusatione cessante, officio Iudicis ritè instituta. Eam Dd. dispartiuntur in generalem & specialem, Maranth. *de ord. iud. part. 6. in princ. num. 7. & 12.* Farinac. *lib. 1. praxis criminalis. Tit. 1. quæst. 1. num. 4.* 133 Generalis inquisitionis duo constituuntur modi: unus est, cum Iudex generaliter in delicta, & delinquentes inquirit, eo fine, ut provincia & Civitas malis hominibus careat, nec delicta clàm committantur, neque clàm commissa crimina ma-

neant impunita, ut quando generaliter inquirit Iudex, an sint alicubi homines facinorosi, an scelera usquam latenter suppullulent, aut commissa fuerint; De hac inquisitione est text. *in c. sicuti olim 25. Extr. de accus. & l. congruit 13. ff. de off. Præsid.* ubi Vlp. ICtus congruit, ait, bono & graui Præsidi curare, ut pacata atque quieta provincia sit, quam regit: quod non difficile obtinebit, si sollicitè agat, ut malis hominib. provincia careat, eosq; cōquirat, nā & sacrilegos, latrones plagiarios, fures conquirere debet, & ut quisq; deliquerit, in eum animaduertere. Consonat text. *in. Novell. 128. cap. 21. Iubemus autem,* cuius verba hæc sunt: Iubemus omnes Iudices per se requirere eos, qui latrocinia, aut violentias, aut rapinas rerum, aut fœminarum, aut alia quælibet in prouinciis illicita cōmittunt, & supplicia eis legitima inferre.

134 Alter modus generalis inquisitionis est de certo quidem delicto, sed de personâ, quæ deliquit incertâ; proinde eo instituitur fine, ut de ipsâ personâ constare possit, ut si occisus sit Titius, at incertus sit homicida, Bart. *in l. 2. §. si publica, num. 5. vers. quandoque est generalis. ff. ad L. Iul. de adult.* Dāhoud. *in prax. crim. cap. 8. n. 16. vers. tertia generalis.* Ernest. Cothman. *respons. 12. n. 7. vol. 1.*

135 Specialis inquisitio est, quâ Iudex criminis certò admissi authorem hominem certū

criminis ſuſpicioni obnoxium, deficiēte accuſatore ex officio capit, in carcerem conijcit, ac legitimè conuictum punit, de hâc inquiſitione eſt text. *in c. inquiſitionis 21. §. adhæc. c. qualiter & quando 24. Extr. de accuſat. d. l. 2. §. ſi publico, iunct. §. ſeq. ff. ad L. Iul. de adult. & l. ea quidem 7. C. de accuſat.* De eâ agit quoq; Innocent. *in c. ſuper literis, n. 4. verſ. item non valet, Extr. de reſcript.* Bart. *item in d. l. 2. §. ſi publico. n. 6. &* Chilian. Kōnig *in practicâ & proceſſu iudic. cap. 2. in princ.*

136 Antequam autem Iudex hanc inſtituat inquiſitionem, conuenit, ut primùm interroget eum, qui principaliter eo crimine offenſus eſt, vel eius conſanguineos, num ipſimet reum accuſare velint, nec ne, qui ſi id facere negent, Iudex ſuis hîc partibus fungi iubetur, Marant. *de ordin. iudic. part. 6. in princ. num. 38.* 137 Cuius ſententiæ ratio hæc eſt, quòd regulariter nemo ſine accuſatore damnari poteſt. *l. reſcripto 6. §. ſi. quis accuſatorem, ff. de munerib. & honoribus Gloſſ. &* Dd. *in d. l. 2. § ſi publico. ff. ad L. Iul. de adult.* Bart. *in d. l. congruit ff. de off. præſid.* Marant. *d. part. 6. in princ. num. 6.* Menoch. *conſ. 160. num. 259. & ſeq. lib. 1.* Farin. *tract. Crim. d. tit. 1. quæſt. 1. num. 8. in fin.*

138 Hodie tamen omiſsâ iſthâc interrogatione Magiſtratus cōtra reum ex officio procedere poteſt, Procuratore quodam accuſante reum conſtituto, Iul. Clar. *lib. 5. ſentent. §. fin.*

*quæst. 3. num. 6.* Farinac. *d. lib. 1. quæst. 1. num. 5. vers. limita tertiò.* Sic in hâc Provinciâ Würtembergicâ nomine Illustrissimi Principis nostri inferiores Præfecti die Undervögte criminis reos publicè accusant.

139 Procedendum est autem in inquisitionibus secundùm leges ut divinas, sic & humanas, *c. absens. 3. quæst. 9.* secundùm Iuris Publici formam. *l. si quis 11. C. de accusat.* non contra formam constitutionum aut receptum Iudiciorum morem, *l. absentem 6. C. d. t.* atque ita sine odio, *can. iudicare 11. quæst. 3. d. c. qualiter 24. Extr. de accus.* sine gratiâ, *l. in heredem 5. in princ. ff. de calumniator. d. c. iudicare,* sine irâ & furore, *can. illa, & c c. seqq. can. cum apud. can. summoperè 1. quæst. 3.* sine mendicatis suffragiis, *l. singuli 14. C. de accus.* & sine præcipitantiâ, *l. 1. C. de execut. rei iud. can. summoperè, & can. non solum 11. quæst. 3.*

140 Cum primis autem criminis denunciatio hîc necessaria videtur, quæ Magistratui fit per eum, qui ad hoc publicè constitutus est, ut deferat admissa crimina, quem Iura nostra curiosum appellant, *l. 1. C. de curiosis, lib. 12. l. ea quidem 7. C. de accusat.* Item Irenarcham, *l. Divus 6. vers. idem de Irenarchis, de ff. de custod. reor.* Tùm etiam nunciatorem, *l. ab accusatione 6. §. nunciatores, ff. ad SCtum Turpill.*

Deinde

141 Deinde Iudex dispicere debet, an reuerâ certum aliquod & speciale commissum sit delictum, quod nunciatur, & refertur ad Magistratum, si enim in genere tantũ constet, crimen esse patratum, & non constet certò de corpore delicti, cessat specialis hæc inquisitio, *l. 1. §. item illud 23.* ubi Dd. communiter *ff. de SCto Silan. l. 1.* ubi Vulteius *n. 34. C. ubi causa Fiscales, l. eius qui 29. vers. verum oportet, de Iure Fisci. d. c. qualiter & quando 24. vers. & in Genesi*, ibi opere compleuerint, *& §. ad corrigendos, Extr. de accusat. c. licet Heli, vers. ad corrigendos, Extr. de Simonia.* Facit *l. 1. §. si quis 15. ff. de quæstionib.* Farinac. *lib. 1. praxis. criminalis, Tit. 1. quæst. 1. num. 6.* Ernest. Cothman. *resp. 12. num. 17. vol. 1.* Pertinet huc textus ordinationis criminalis, *art. 6.* his verbis, sich erkündigen vnd fleissig nachfragens haben/ob die Missethat auch beschehen sey/ oder nicht. Sunt ergò Iudicis manus ligatæ in usu inquisitionis huius, donec de crimine certò constet, Marsiliensis *cons. 8. num. 1. vol. 1.* & Cothman. *d. respons. 12. n. 11. vol. 1.*

142 Ratio huius pronunciati est, quòd ubi lex aliquid disponit respectu certæ rei, prius de illâ re constare debet, *l. Divus ff. de testam. milit.* Gloss. *in c. ad dissolvendam, vers. accusare, Extr. de desponsat. impub.* Non enim de rei qualitate quæri potest, antequam de ipsâ rei

ſubſtantiâ & corpore conſtet, Gloſſ. *in l. ſi arbiter 28. ff. de probat.* Ant. Gomez. *tit. de captura reorum num. 1.* cùm non entium nullæ ſint qualitates, *l. eius qui in provinciâ 41. verſ. quoniam, ff. ſi cert. pet.* Mynſing. *reſponſ. 61. num. 30. Decad. 7.* Pruckman. *conſ. 3. num. 36. conſ. 5. n. 62. conſ. 12. n. 154. conſ. 27. n. 87. volum. 1.*

143 Non poteſt ergò Iudex inquirendo ad capturam delati rei devenire, priusquâm ei conſtiterit, quòd crimen delatum ad ſe, cõmiſſum ſit, ut alios referens tradit Farinac. *Tit. de inquiſit. quæſt. 7. n. 2.* Conſtare a. debet Iudici de corpore delicti, non per coniecturas, ſed liquidè, & per plenas probationes, *d. l. 1. §. item illud*, ibi liquere igitur debet, *ff. ad SCtum Silan.* Idq́; tradunt etiam Dd, quos citat & ſequitur idem Farinac. *d. quæſt. 2. n. 6.*

144 Neglecto igitur hoc inquiſitionis requiſito fit interdum, ut innocens immeritò damnetur, & iudici merita pœna irrogetur. Exempla notabilia refert duo Daniel. Mollerus lib. 3. ſemeſtr. cap. 40. Vnum eſt de quodam marito, à quo cùm eius uxor abiiſſet, & non in tempore reverſa eſſet, ipſe maritus de parricidio in eâ commiſſo ſuſpectus, proindeque tormentis interrogatus, & crimen in torturâ confeſſus fuit. Eam ob confeſſionem Magiſtratus, & Iudex loci, vir nobilis ex

quo-

quorundam Iuris responso legis Pompeiæ pœnâ ipsum affecit, post verò uxor illa salua & incolumis rediit, & noblis ille ab Electore Augusto bis mille aureis multatus, & Iurisdictione suâ priuatus fuit.

Alterum exemplum est de quâdam muliere, parricidij in marito commissi suspectâ, quæ cùm ex falsorum delatorum depositione torturæ subiecta, & crimen illud confessa esset, eodem affecta fuit supplicio, cùm tamen maritus postea rediisset, atq; ita ipsam innocentem & iniustè condemnatam fuisse cognitum fuit. 145

Si tamen de eo agatur crimine, cuius nulla postfactum remanēt signa aut vestigia quodque transeuntis facti est, atque ita probationis difficilis, corpus criminis illius probari potest per indicia & coniecturas validas, ut alios sequutus scribit Farinac. *dict. lib. 1. de inquisitione, quæst. 2. num. 12. 13. & 23.* Huius autem generis est illud, de quo hîc agimus, crimen adulterii, de cuius corpore sufficit constare per coniecturas & indicia, ut sentiunt, quos citat & sequitur Farinac. *d. quæst. 2. num. 23.* Vnde si Arethusa coniunx Titij visa sit certo quodam tempore colloqui occultè cum mare quodam & amplexu illius teneri; idque testes qui viderunt 146 147

illud

illud, ad Iudicem detulerint, poteſt Iudex ac debet porrectâ ſibi eo de facto querelâ, ex officio inquirere in facinus illud, & contra ipſos delinquentes informationem aſſumere, citando & examinando eos, vel etiam in carcerem ducendo, Iul. Clar. *in pract. crim. quæſt. 4. num. 3.* Farinac. *dict. quæſt. 2. num. 1. in fin. & num. 23. in fine.* Quod tamen intelligendum eſt de querelâ eorum, quibus commiſſum eſt officium deferendorum criminum, non illius, cui per crimen allata eſt offenſio, Hondedæ. *Conſult. 107. numero 10. & 17. vol. 1.*

148 Quod ſi nullæ de adulterio adſint conjecturæ & præſumptiones, vel adſint quidẽ, ſed remotiſſimæ, & leviſſimæ, non poteſt Iudex inquiſitionis huius ſpecialis inſtituere proceſſum, & ne quidem citando, carcerando, & examinando quempiam de iſthoc crimine, Marſilienſ. *conſ. 12. num. 33. & ſeqq.* & alii quos citat Farinac. *d. quæſt. 2. num.* 1. Hondedæ. *conſult.* 107. *n. 7. & ſeqq. & Conſult.* 108. *num. 26. vol. 1.*

149 Cùm enim inquiſitionis proceſſus apud bonos & graues viros inquiſiti famam minuat, & exiſtimationem lædat, cautè progredi Iudex ad inquiſitionẽ debet, Menoch. *de præſumpt. lib. 1. quæſt. 88. n. 10.* Collegium facul-

cultaa-

cultatis Iuridicæ Coloniensis *Consilio quod est sub. 3. volum. Responsorum Cothmanni, Resp. 30. num.* 155. Sufficit autem ad instituendam hanc inquisitionem diffamatio, siue fama de crimine orta, *c. cum oporteat* 19. *c. inquisitionis* 21. §. 1. *& 2. c. qualiter* 24. *Extr. de accus. c.* 2. *Tit. eod. in* 6. Farinac. *Tit. de inquisit. quæst.* 1. *n.* 50. Itemq; fuga reorũ, & testimoniũ socij criminis, tùm etiam denunciatio Syndici, vel alterius officialis deferẽdis criminib. præpositi, quorum speciales appellationes suprà memoravi, Menoch. *d. quæst.* 88. *n.* 12. Hondedæ. *consult.* 108. *n.* 16. *vol.* 1.

150 Quòd si Iudex non oservato Iuris ordine inquisitionem hanc instituat, omnia irrita sunt, & processus ob nullitatis vitium reijci potest, ut tradunt Dd. quos citat & sequitur Farinac. *de inquisit. quæst.* 1. *num.* 40. Hondedæ. consult. 108. *num.* 27. 28. 34. *vol.* 1. Collegium facultatis Iuridicæ in Academiâ Coloniensi *d. respons.* 30. *num.* 118. *& seqq.* Iubetur etiam Iudex sine ullâ dilatione, reum carceratum dimittere. Ita sentiunt Dd. quos memorat & sequitur Farinac. *tract. crim. quæst.* 27, *num.* 146.

151 Sed an Iudex quoque inquisitionis processum perperam instituens actione aliquâ teneatur ipsi reo innocenti, quæri hoc loco

potest?

potest? Doctores aienti sententiæ cõmuniter inhærent, ac sentiũt, actionem iniuriarũm cõparatam esse reo, Farinac. *lib. 1. praxis criminalis, Tit. 4. quæst. 27. n. 135.* ubi varios pro hâc opinione citat Dd. amplectitur idem effatum Laurent. Kirchovius *cent. 5. commun. conclus. 30.* Idq; etiam firmare videtur *text. in l. nec Magistratib. 32. ff. de Iniuriis*, ubi ICtus Vlp. Nec, ait, Magistratib. licet aliquid iniuriosè facere. Si quid igitur per iniuriã fecerit Magistratus, iniuriarũ potest cõueniri, Kirchov. *d. conclus. 30.* ex Friderici Schenck *viridario conclusionum Iuridicarum*, ita in Camerâ Imperiali iudicatum fuisse refert.

152 At huic opinioni non simpliciter inhærendum esse reor, Actio enim iniuriarum affectum, & voluntatem, & propositum facientis iniuriam desiderat, *l. 3. §. 1. ff. de iniur. l. qui servum 34. in princ. ff. de oblig. & Act. l. si non conuicij 5. C. de iniur. l. qui iniuriæ 53. in princ. ff. de furt.* Vnde animus iniuriandi dicitur fundamentum, & substantia iniuriæ, Mynsing. *resp. 51. num. 11. decad. 6. & respons. 74. num. 6. decad. 7.* Dicitur item substantiale requisitum actionis iniuriarum, Andr. Gail. *lib. 2. obs. pract. obs. 99. num. 5.*

153 Magistratus autem & Iudex ab animo & affectu iniuriandi censetur esse liber, quãdo

Iure

Iure Magistratus, & officii sui ratione quid facit, quod cum iniuriâ coniunctum videtur, *l. iniuriarum 13. §. 1. ff. de Iniur.* Vbi ICtus Vlp. Is, ait, qui Iure publico utitur, non videtur iniuriæ faciendæ causâ hoc facere. Iuris enim executio nō habeat iniuriam. Similiter Paulus ICtus *in l. Quod Reipub. 33. ff. d. t.* Quod, ait, Reipublicæ venerandæ causâ secundum bonos mores fit, ETIAMSI AD CONTVMELIAM ALICVIVS PERTINEAT, quia tamen non eâ mente Magistratus facit, ut iniuriam faciat, sed ad vindictam Magistratus publicè respiciat, actione iniuriarum nō tenetur.

Nisi ergò inquisitus ex indiciis aliquibus manifestare possit, quòd Magistratus siue Iudex animum & propositum inferendæ iniuriæ habuerit, non competit ipsi iniuriarum actio, sed ex quasi maleficio actio in factum, ut rectè sentiunt Bart. *in l. Iniuriarum 13. §. idem Labeo, ff. de iniur.* & Paris de Puteo *tract. Syndicatus, in verb.* captura, *cap. 2. Incipient. Quia plerumque officiales, num. 5. vers. pone quod impeditur officialis*, Prosper. Farinac. *d. Tit. 4. quæst. 27. numero 137.* & confert eòdem *addit. ad Guidonem Papa, decis. 324.* 154

Non defensat communem opinionem, quòd captura & carceratio ignominiosa est ei, qui prehenditur, & in carcerem deducitur, 155

tur. Cùm enim ignominia illa non proficiscatur ex animo iniurioso, non poteſt parere iniuriarum actionem *d. l. quod Republica 33. ff. de iniur.*

156 Neque etiam tuetur eam opinionem text. *in d. l. nec Magiſtratibus, 32. ff. de iniur.* Eſt enim de caſu, quo apparet, quòd Magiſtratus iniuriandi animo, & contumeliæ inferẽdæ cauſâ quid fecerit, Paris de Puteo *Tract. Syndicatus in verb.* captura, *cap. 2. verſ. quia plerumq; officialis, n. 2.* & Farinac. *d. quaeſt. 27. n. 137.*

157 Illâ autem in factum actione iniuſtè inquiſitus, ab inquiſitionis Iudice conſequi poteſt omne damnum & intereſſe, & inſuper ipſe Iudex arbitrariâ tenetur pœnâ, Farinac. *d. quaeſt. 1. num. 44. & dict. quaeſt. 27. num. 137. 138 140. 142. & ſeqq.* Confert text. ordinationis Criminalis Caroli V. *art. 12.*

CAPUT IV.

# Caput IV.

## De Adulterii probatione.

QVÆ de adulterij probatione hîc tractare institui, non modò ad accusationis, sed & inquisitionis casum communiter pertinere sciendum est, siquidem accusatio ubi cessat, inquisitioni locus fit, & duo hæc probandi rationem communem habeant, ut arguit text. *in l. pen. cum ibi notat. per Dd. ff. de publ. iud. & in l. congruit, ff. de offic. Præsid. &* patet ex traditis Doctorum *in d. l. ea quidem, 7. C. de accusat.* Bart. *in l. 2. §. si publico, num. 12. ff. ad L. Iul. de adult. &* ibidem etiam Bald. *n. 57.* Hippolytus de Marsil. *in pract. crim. §. constante num. 32.* Pract. Conradi, *Tit. de inquisitione. num. 3. pag. 245.* Ro- 1

 land.

land. à Valle *conſ. 30. num. 15. vol. 2.* Farin. *tract. crim. lib. 1. Tit. 2. de accuſat. quæſt. 12. in princ.*

2 Cùm autem adulterium clàm, occultè & abditè plerumque fiat, probationis eſt difficilis, & directè, ſpecificè, ac verè probari non poteſt, *l. conſenſu 8. §. ſervis etiam 6. C. de repudijs,* quam in ſententiam tranſierunt Doctores, quos citat & ſequitur Menoch *lib. 2. de arbitr. iud. cent. 2. caſu 116. num.* 11. *& lib. 5. de præſumptionibus præſ. 41. num. 1.* & latè Maſcard. de probat. *concluſ. 57. num. 3. vol 1.* & Laurent. Kirchov, *cent. 1. comm. opinion. concl. 5. verſ. adulterium* Mynſing. *reſp. 1. numero 20. & ſeqq. decad. 1.*

3 Vnde hîc indiciis locus eſt, quæ à noſtris præſumptiones, & coniecturæ appellantur, & ab his adulterii probatio petenda eſt, Menoch. *conſ. 31. num. 18. & 19. vol. 1. lib. 2. de arbitr. Iudic. caſu* 116. Maſcard. *de probat. concl. 57. n. 6. & 7.*

4 Videndum ergò, quæ ſint adulterij indicia, & quibus ea teſtibus probentur. Non omnium indiciorũ vis eadem eſt ad arguendum & probandum adulterii crimen. Indicia alia certa ſunt & indubitata, *l. indicia certa 19. C. de rei vind. l. ult. C. de probat.* Alia veriſimilia, ſiue probabilia ſunt indicia, *l. milites 8. §. 1. C. de quæſtionib.* Certa & indubitata

ſunt

sunt indicia primò, quæ ex naturâ dependent, & rem propositam ex naturalibus principiis necessariò probant, proindeq; ad condemnandum reum sufficiunt, *d. l. indicia certa 19. C. de rei vindic. & d. l. ult. C. de probat.*

Tale indicium est si mas aliquis & uxor aliena in ipso naturali & reali coitu adulterino deprehendantur, idque testibus probetur, Marcus Blanc. *tract. de indiciis homicidij ex propos. commissi, num. 69.* Laurent. Kirchov. *cent. 1. comm. concl. concl. 5.* Mascard. *de probat. concl. 57. num. 5. vol. 1.* Qui omnes aiunt, adulterium tum probabitur, quando pudenda in pudendis, obscœna in obscœnis sunt posita. Et hoc dicitur manifestum adulterium, Decius *in c. cum non ab homine num. 49. Extr. de iudic.* Abbas *in cap. Tertio loco, col. pen. Extr. de præsumpt.* 5

Eiusmodi quoque indicium adulterij est, si maritus elapso jam anno abfuerit, & domum reversus uxorem repererit prægnantem, Gloss. & Canonistæ in *can dixit. 3 2. quæst. 1.* Felin. *in c. præterea, num. 3. Extr. de testib.* Menoch. *d. præsumpt. 41. num. 4. 5. & 6.* ubi hæc, ait, præsumptio urgens adeò est, ut dici debeat probatio concludens, quæ operari debet, ut non solùm mulier perdere debeat dotem, sed etiam puniri possit pœnâ L. Iuliæ de adulteriis. 6

7 Eſt quoque huiuſmodi indicium adulterii, ſi maritus tantâ corporis valetudine adversâ aliquandiu laborauit, ut uxori ſuæ coniugale debitum certò præſtare non potuerit, ipſa tamen interim gravida facta fuerit, *l. filium 6. ff. de his qui ſui vel alieni Iuris ſunt.*

8 Hæc & id genus alia indicia, quæ à naturalib. cauſis & principiis naſcuntur, neceſſariã & violentam præſtant probationem, proindeque ad condemnationem ſufficiunt, Menoch. *lib. 1. præſumpt. quæſt. 3. n. 1. & 5.*

9 Sunt & illa certa & indubitata indicia, quæ non à naturalibus, ut præcedentia, ſed ab humanis principiis, lege & ratione humanâ probatis naſcuntur, & Doctores noſtri Iuris & de Iure appellant præſumptiones, Menoch. latè *de præſumpt. lib. 1. d. quæſt. 3. num. 8.* ex quibus indiciis reus ſimiliter ordinariâ legis pœnâ affici poteſt, ut latè oſtendit Menoch. *lib. 1. præſumpt. quæſt. 97. n. 2. & 3.*

10 Eiuſmodi indicium eſt, quando mas & fœmina de adulterii crimine accuſati, ſui defenſionem ex eo prætenderunt, quòd eſſent ſanguine juncti, proindeq; ſiniſtra ſuſpicio commiſſi adulterii de ſe naſci non poſſit, ipſi tamen poſt abſolutoriam ſententiam matrimonium contraxerint, ex conjunctione enim horum factorum, potens ac vehemens oritur

oritur indicium, quòd ipsæ personæ antea adulterium commiserint, proindeq; adulterii pœnâ capitali puniri possint, *l. si qui adulterij, § 4. ubi Dd. C. ad l. Iul. de adult.* Matthæ, Matthesilan, *sing. 118. in fin.* & Menoch. *d. præsumpt. 41. num. 7. & 8.* Mascard. *de probat. vol. 1. concl. 59. num. 13.*

Hujus quoq; generis indicium est, si quidam maritus, illi, quem de adulterio cum uxore suspectum habet, adhibitis honestæ opinionis testibus scripto ter denunciaverit, ut à colloquio & conversatione uxoris occultâ abstineret, ipse a. furtivos aditus ad eam nō evitet, Est enim & hæc adulterij præsumptio Iuris & de Iure, & potest adulter ille pœnæ capitali subiugari, *Novell. 117. c. ult. & Auth. si quis ei C. ad L. Iul. de adult.* Speculator *Tit. de præsumpt. §. species num. 4.* Euerhard. *in Topic. legalib. in loco à verisimili, in fin.* Abbas *in c. tertio loco, num. 4. Extr. de præsumpt.* Menoch. *d. præsumpt. 41. num. 9.* 11

Idem etiam dicendum est, si Magistratus quidam de adulterio suspecto; interdixerit aliquoties, ne domum eius, cum cuius uxore suspectus fuit, ingrederetur, ipse autem contra hoc interdictum in domo suspectæ mulieris, & quidem noctis tempore postea deprehendatur, Ang. *Auth. si quis. C. ad* 12

*L. Iul. de adult.* & ſentit Moller. *libr. 3. ſemeſtr. cap. 16.*

13 Veriſimile & probabile adulterii indicium illud eſt, ex quo plerumque adulterium arguitur, non ſemper & ubique, & ob id non certum ſed veluti certum appellatur indicium *in d. l. milites 8. §. oportet. C. de quaſtionibus* unde proficit non ad condemnationem, ſed ad torturam rei, ut oſtendit locus jam citatus, & docet Mattheſilan. *ſing. 118.* & Menoch. *lib. 1. de praſumpt. quaſt. 97. n. 25. verſ. primò hac ratione.*

14 Prodeſt item ad extraordinariam adulterii pœnam, ut latè tradit Menoch. *d. quaſt. 97. num. 15. 16. 17. 23. & d. praſumpt. 41. num. 15. verſ. verùm imponi.*

15 Conducit quoque indicium hoc ad thori ſeparationem, & dotis amiſſionem, *c. literis 12. C. de praſumpt. & c. 4. Extr. de donat. int. vir. & uxor.* & volunt Doctores, quos memorat & ſequitur idem Menoch. *d. praſumpt. 41. num. 13. & 14.* Laurent. Kirchov. *cent. 1. concl. comm.* & Mynſing. *reſp. 1. num. 28. 35. & ſeq.*

16 Huiuſmodi indicium eſſe dicitur, ſi mas aliquis ſolus cum uxore alienâ ſolâ ſecreto & abdito in loco inuentus ſit, *d. c. literis. 12.* ibi, locis ſecretis & latebris ad hoc cōmodis, *junct. verſ. reſpondemus Extr. de praſumpt.* Et tradunt

dunt Dd. quos hanc in ſententiam citant & ſequuntur Menoch. *d. præſumpt.* 41. *num.* 11. *iunct. n.* 13. *&* 15. *verſ. verum imponi.* Kirchov. *comm. concl.* 5. Maſcard. *de probat. vol.* 1. *concl.* 59. *n.* 10. *verſ. conciliare poteris.* Erneſt. Cothman. *reſp.* 16. *num.* 81. *vol.* 3. Farinac. *Tit. de delict. carnis, quæſt.* 136. *num.* 24

17 Item ſi mas cum alterius uxore ſolâ viſus ſit per nemora, & vias occultas ſpaciari & ſimul ipſam exoſculari, luxurioſoque tactu, & amplexu laſciuo circumplicare, *d. c. literis* 12. ibi locis ſecretis & latebris, *iunct. verſ. reſpondemus, & c. ſeq.* 13. ibi, eos inſimul viderant per plana & nemora, vias, invia, pluries convagantes. *Extr. de præſumpt.* Dionyſ. de Franciſcis Venetus *conſ.* 58. *numero* 26. 27. *&* 28. *vol.* 1. *conſiliorum matrimonialium.* vide Farinac. *tit. de delict. carnis quæſt.* 136. *num.* 153. 54. *& ſeq.*

18 Idem ſentiendum de caſu, quo mas aliquis cum uxore alienâ repertus fuit in cubiculo clauſo, ad coitum diſpoſitus, putà ſi caligas habuerit ſolutas, ipſaque fœmina aperire oſtium recuſauerit, Kirchov. *d. concl.* 5. *circa fin.* Menoch. *d. præſumpt* 41. *numero* 11. *verſ. nec repugnat.* Maſcard. *de probat. d. concl.* 59. *numero* 10.

19 His indiciis veriſimilibus & probabilibus

adulterium verè & certò non probatur, proinde ad ordinariam adulterii pœnam non sufficiunt ea: Adulterium quippe dici non potest, nisi realis concubitus maris & 92 uxoris alienæ interuenerit, ut docui suprà cap. 1. & sentiunt Dd. quando scribunt, adulterium tunc probari, quando mas & fœmina, uxor aliena, in ipso veneris opere deprehenduntur, ut quando pudenda in pudendis, obscœna in obscœnis posita repériuntur, ita post alios Kirchov. *d. concl. 5. vers. qua tamen sententia*, & Mascard. *de probat. concl. 59. num. 4. & 5.* cuiusmodi actus non ex quibusvis indiciis, sed ex naturalibus tantùm principiis ac causis humanis, lege probatis, petuntur, ut antea ostendi.

Prosunt tamen indicia hæc ad extraor- 20 dinariam pœnam, Menoch. *d. præsumpt. 41. num. 15. vers. Caeterùm imponi, & lib. 1. de præsumpt. quæst. 97. num. 25. vers. primò hac ratione.* Proficiunt item ad torturam, ut habet addition. ad Matthesil. *singul. 118.* & sentit Menoch. Imolam ad hoc referens, *d. quæst. 41. num. 22.* Quin etiam proficiunt ad thori separationem, & dotis amissionem, *d. c. literis 12. Extr. de præsumpt. & c. 4. Extr. de donat. int. vir. & uxor.* Menoch. *d. præsumpt. 41. num. 13. & consil. 31. num. 25. lib. 1.* Mascard. *de probat. d. concl*

*concl. 59. numero 10. vers. conciliare posteriù, & num. seq. vol. 1.*

Est quoque huius generis adulterij indicium, si uxor alicuius sola & nuda cum viro alieno solo & nudo visa sit in eodem lecto cubare, *d. c. literis, Extr. de præsumpt. can. nec aliqua 27. quæst. 1.* ubi Cypriani hæc refertur sententia Certè coniacentium duorum turpis & fœda dormitio, quantum dedecoris & criminis confitentur? Atq; ita sentiunt Doctores, quos memorant, & sequuntur Kirchov. *d. concl. 5. cent. 1. comm. opin.* Menoch. *d. præsumpt. 41. num. 12.* Mascard. *de probat. d. concl. 59. numero 8.* Farinac. *d. quæst. 136. numero 24.* 21

Hoc autem indicium similiter non sufficit ad ordinariam adulterii pœnam, sed ad torturam, cùm sit non indubitatum, & certum, sed verisimile tantùm indicium, ex quo tortura fieri potest, *d. l. miles. 8. C. de quæst.* Matthesilan, *d. sing. 118.* & ibidem additionator. Zanger *tr. de quæst. & tortur. cap. 2. n. 73.* Item ad pœnam extraordinariam, Menoch. *d. lib. 1. de præsumpt. quæst. 97. num. 15. 16. 17. & 23. & d. præsumpt. 41. num. 15. lib. 5.* Vt etiam ad thori separationem, & dotis amissionem, *d. c. literis, Extr. de præsumpt. & d. c. 4. Extr. de donat. inter vir. & vx.* Menoch. *d. præsumpt. 41. num. 13.* 22

*num. 13.* Paris. *cons. 54. num. 56. vol. 4.* Mascard. *de probat. d. concl. 59. num. 10.*

23 De osculo impudico quid sentiendum sit, hoc etiam loco disquiri convenit. Dubium non est, quin ex impudico osculo, quod mas aliquis, & uxor aliena invicem sibi dederunt, præsumptio de adulterio nascatur, & quidem non solùm de committendo adulterio futuro, licet id sentiat Menoch. *d. præsumpt. 41. num. 26. & seqq. libr. 5.* sed etiam de adulterio præcedente, & antea quoque patrato; cùm negari non possit, quòd quando vir & mulier se osculantur, & amplexantur, facilè præsumatur, quòd etiam ante oscula & amplexus carnaliter se commiscuerint, Farinac. *tit. 16. de delict. carnis quæst. 136. num. 134.*

24 Sed quæstionis est, an præsumptio hæc certum & indubitatum sit cõmissi adulterij indicium? Aiens opinio quibusdam probari dicitur, quibus adstipulari videtur versiculus ab Accurs. *in d. l. quod ait lex 23. ff. ad L. Iul. de adult.* adductus: visus, & alloquium, tactus post oscula factum. Confert eodem & illud Ovidii *libr. 1. de arte amandi*:

*Oscula si sumpsit, si non & cætera sumpsit,*
*Hac quoque quæ data sunt, perdere dignus erat.*

Sen-

Sentire videtur idem Vlpian. ICtus in *l.etsi amici 9.§.1.ff.ad L.Iul.de adult.* Tùm etiam Cyprianus *d.can.nec aliqua 27.quæst.1.* ubi scribit; certè ipsa confabulatio & inosculatio quantum dedecoris & criminis confitentur. Confert eodem, quòd turpis lusus vasalli cum uxore domini, vero comparatur adulterio, *Tit.5.§. 1. vers. Item si fidelis*, ibi, aut cum eâ turpiter luserit, *lib. 1. Feud.* Et quod per osculum probatio adulterij fiat, sentire videtur Marc. Anton. Blanc. *in repetit. l. ult. n. 69. vers. præparationes, ff. de quæstionibus* Gratus quoque *consil.115. num. 9. vol. 1.* dicit, quòd adulterium probetur non solùm per concubitum, sed & per osculum, & manus ad papillas positas. Alciat. item *lib. 4. parerg. cap. 10.* scribit, quòd ex osculo quædam adulterij conjectura assumatur. 25

Verùm repudiatâ hâc opinione, rectè negatur ex coniecturâ hâc verum duci argumentum adulterij antè vel post oscula cõmissi. Tùm quia adulterium veraciter & concludenter probãdum est, *Novell. 117. cap. 8. vers. si de adulterio.* Osculum a. licet activè & passivè mas & uxor aliena inuicem sibi dederint, nihilominus tamẽ ipse coitus intermitti potuit, vel ex pœnitẽtiâ conatus illius, vel ex impe- 26

impedimento, quod intervenit. Tùm quia osculum illud neque ex naturalibus causis verè arguit adulterium, cùm necessarium non sit, ut oscula data carnis etiam commixtio sequatur, sed ut dixi, ea post osculum intermitti possit, neque etiam ex principiis humanis lege quâdam probatis osculum ostendit commissum esse adulterium, cùm tamen vera criminis probatio vel à naturâ, vel à lege tantùm petatur, Menoch. *d. lib. 1. præsumpt. quæst. 3. num. 1. & 5. & quæst. 97. num. 2. & 3. & lib. 5. de præsumpt. præsumpt. 41. num. 48.*

27 Tùm etiam quia inhumanum, durum, & rigorosum esset, legis pœnam de adulteris constitutam, in eos conuertere, quos certò non constat, verum commisisse adulterium, maximè cùm jura pœnalia extendi non de-

28 beant, *c. in pœnis, tit. de Reg. Iur. in 6.* Tùm postremò, quia ad probandum adulterium legis pœnâ puniendum, probationes requiruntur luce meridianâ clariores, *l. ult. C. de probat.* Bart. *in l. 1. §. si ea ff. de ventr. inspic.* Angel. *cons. 34. num. 4. & 5.*

29 Hanc sententiam quòd ex coitus præparatoriis, & præludiis (qualia etiam sunt oscula) non inducatur plena adulterii probatio, sed tantùm coniectura quædam, amplectitur quoque Ancharan. *in c. præterea, num. 3.*

Extr.

*Extr. de testib.* & alii, quos citat, & sequitur Menoch. *dict. præsumpt. 11. num. 33. & seqq.* Item Farin. *Tit. 16. de delict. carnu. quæst. 136. num. 129.* Et horum sententia eò magis probanda est, quòd nonnulli, qui licet pro contrariâ opinione à Dn. Collegâ Harpprechto *ad §. Item lex Iulia, num. 19. Tit. Inst. de publ. iudic.* & quibusdam aliis citentur, in negantem tamen hanc sententiam potius inclinant, & volunt, quòd ex luxurioso osculo uxori alienæ dato, non verè & concludenter, sed tantùm præsumptivè adulterium probetur.

30 Nihil huic officit pronunciatò, versus Accursii suprâ adductus, Axioma enim illud licet verum sit, est tamen non necessarium, sed contingens tantùm, & sic verum ut aliquando falsum esse possit, ut ex prædictis constat, & ipsa experientia testatur.

Poëtæ Ovidii distichon suprà allatum, facetum aliquoddam dictum est, & jocosum ab homine Ethnico profectum, proindè in re seriâ, cum de adulterii probatione verâ agitur, nihil ei deferendum.

31 Quod attinet textum *in d. l. & si amici 9. §. 1. ff. ad L. Iul de Adult.* Nihil ibi ICtus de osculo agit, sed tantùm de colloquio ad præbendas ædes, in quibus adulter, & adultera conveniant, & facinus illud committant.

Dictum

Dictum Cypriani ex luxurioſo oſculo non arguit reuerâ adulterium, ſed oſtendit quòd illud ſit crimen & dedecus per ſe adulterio vicinum, ac pœnâ dignum.

Enunciatum feudale de turpi luſu vaſalli cum uxore domini, licet comparet luſum illum cum adulterio, quoad *feudi amiſſionem*, comparatio tamen illa extendenda non eſt ultra eam pœnam civilem, ad corporis coercitionem, ſiquidem ab unâ pœnâ ad aliam grauiorem coercitionem extenſio licita non ſit, cum ratio diverſa eſt pœnarum, ut docet Euerhardus in *topicis legal. in loco à ratione legis ad extenſionem, numero 36. & ſeqq.* Vaſallus autem feudo priuatur ob luſum cum uxore domini, tùm quia vaſallus eo facto fidelitatis iuramentum, quod domino præſtitit, violat, *Tit. 6. & 7. lib. 2. Feud.* Tùm etiam quia feudi proprietas domini eſt non vaſalli, *Tit. 23. in fin. lib. eod. Feud.* At hæ rationes ceſſant in caſibus non feudalibus. Et ita ſentire etiam videtur Dec. *ad rubr. Cod. de edendo. n. 2. verſ. præterea*, ubi de vaſallo ait, non benè infertur ad uxorem, quia vaſallus generaliter debet priuari feudo, ſi domino graues & inhoneſtas intulerit iniurias, non ſic videtur in uxore. Couarr. quoque in *4. libr.*

*decretal.*

*decretal. part. 1. cap. 6. § sexto, n. 3.* scribit, quòd depositio illa feudalis non sit extendenda ad alios casus.

34 Non militat etiam pro aiente opinione authoritas Ant. Blanci, Grati, Alciati, & aliorum: Quàmvis enim probetur adulterium per impudicum osculum, non tamen verè & propriè probatur, sed tantùm præsumptiuè. Ex præsumptionibus autem, quæ neque ex naturalibus, neque ex humanis principiis lege probatis dependent, ad pœnam imponendam nihil certè concluditur, ut suprà docui. Cùm ergò luxuriosum osculum non sit eiusmodi præsumptio, quemadmodum ostendi, sequitur quòd ex eo veraciter non probetur adulterium.

35 Cæterùm quæri hîc potest, cùm adulterium præsumatur etiam ex impudico & lasciuiori osculo, qualis ea sit præsumptio, sive quale indicium, an verisimile siue probabile putandum sit indicium, vel præsumptio aliqua leuior? Etsi maris & fœminæ osculum sit venereus, impudicus actus, per quem uxor aliena suam violat pudicitiam, ac matrimoniū diffamat, laceratq;, ut scribit Bald. *in c. tua n. 4. Extr. de Procurat.* & Francisc. Curt. *in Rubr. Cod. de edendo, n. 12. & seq.* quò pertinet

*l. con-*

*l. consensu 8. §. virum. C. de repud.* proindeque Iudicis arbitrio puniendi sint lascivè & luxuriosè deosculantes se, Menoch. *l. 2. de arbitr. iud. cas. 287. num. 8.* ipsum tamen osculum verisimile, & probabile adulterii indiciũ haud dici potest: cùm illud sit verisimile criminis indicium, quod plerumque crimen, de quo agitur, arguit, atque adeò urget & gravat reum, ut ad criminis indaginem, & veritatem eius inquirẽdam, nihil aliud, quàm propria rei confessio tormentis expressa desideretur, *l. 1. §. 1.* ibi, ut sola confessio deesse videatur, *§. Divus 17.* ibi, confessiones reorum pro exploratis facinoribus haberi non oportere, si nulla probatio religionem cognoscentis instruat, *l. unius 18. §. 2.* ibi, in eâ causâ, in quâ nullis reus argumentis urguebatur, tormenta nõ facilè adhibenda sunt, *ff. de quæstionib. l. 3.* ibi, ut videantur accedere ad verisimilia causæ crimina, *l. milites 8. §. oportet. autem. l. quoties 12.* ibi, si aliis probationibus veritas illuminari non possit, *& l. seq.* ibi, ad veritatis indaginem, *C. d. t.* Sed luxuriosum, impudicum, & lascivum osculum maris & alienæ uxoris non est eiusmodi indicium, quod ipse coitus plerumque sequatur, sed sępè numerò à coitu vacuum sit, id quod ipsa etiam experientia testatur, maximè in plebeiorum

beiorum & rusticorum tripudiis, & choreis. Et quòd in osculo nō verificetur adulterium testatur Dec. *in Rubr. C. de edend. num. 2. in fin.* Nicolaus quoque Bellonus *in Rubr. C. d. tit. num. 8.* scribit, quòd ex amplexibus & osculis tantùm, non possit fœmina conuinci etiā ad eum effectum, ut dote privetur, quàmvis ex his actibus gravis deducatur adulterij præsumptio. Idem de dote non amittendâ propter osculum impudicum censet etiam Menoch. *d. lib. 2. de arbit. Iud. càsu 287.* hoc argumento motus, quòd neque in *l. consensu 8.* neque in *l. ult. C. de repud.* neque in *Novella 117. cap. 8. Quia verò*, neque alibi in Iure nostro cautum legimus, quòd uxor alicuius propter osculum impudicum dotem suam amittat: quam sentētiam suàm repetit idem Menoch. *de præsumpt. lib. 5. præsumpt. 41. num. 36.* 37

Et licet quæstio hæc admodùm sit controversa, an uxor propter turpe osculum suam amittat dotem, nec ne, ut latè deducit Farinac. *tract. crim. Tit. de delict. carnis quæst. 142. numero 133. & seqq.* Menochii tamen opinio negata propter adductas rationes veritati propior videri potest.

Si tamen osculum luxuriosum cum lasciuioribus amplexibus & positione brachii ad collum, ac mammillarum tactu da- 38

tum sit uxori alienæ non invitæ nec resistenti, & quidem in locis secretis, ad carnalem commixtionem aptis, præsumptio inde oritur verisimilis de adulterij crimine, ut ostendit decis. Rotæ *69. num. 2. vers. secundò testes, & num. 7.* & scribit Farinac. *d. tit. de delict. carnis, quæst. 136 n. 131. & 136. 137. 138. & 140.*

40 Hic enim multiplex circumstantiarum concursus ad verisimile adulterij crimen accedit, proindeque iudex propriæ confessionis extorquendæ causâ, hoc casu tormenta adhibere potest, *d. l. 3.* ibi, ut videantur accedere ad verisimilia causæ crimina. & *d. l. milites 8. §. oportet autem. C. de quæstion. l. 1. §. 1.* ibi, ut sola confessio deesse videatur, *ff. d. t.* Id quod sentit etiam Ioann. Zang. *tract. de torturis & quæst. cap. 2. num. 74.*

41 Dispiciendum hîc etiam quid tribuendum sit literis amatoriis, uxori alienæ ab eius Amasio missis, & ab ipsâ receptis? Doctores communiter tradunt ex hisce literis violentam duci præsumptionem, de commisso adulterio, Paul. Paris. *cons. 54 num. 64. & seq. vol. 4.* & alij plures, quos memorat & sequitur Farinac. *Tit. de delict. carnis, quæst. 136 num. 126.* cui pronunciato suffragari videtur argumentum *text. in l. emptor. 47. §. Lucius, l. epistola 52. ff. de pact. l. non epistolis 13. C. de probat. l. publia 26. ff. depositi. l. cũ de indebito 25. ff. de probat.*

Verum

Verùm enim verò præsumptio hæc ut ipsum adulterium veraciter non probat, ita nec verisimiliter illud arguit, ut locus sit torturæ, nisi Iudex ex tenore literarum conijcere possit, fœminã illam uxorem alienam, & eius Amasium probabiliter rem venereã invicem exercuisse, ut rectè sentit Menoch. *libr. 5. de præsumpt. præsumpt. 41. num. ult.* & Ioann. Zang. *d. tract. de quæstionib. & tortur. c. 2. num. 76.* tùm etiam Farinac. *d. quæst. 136. num. 128.* ubi duo requirunt, ut ex amatoriis literis verisimiliter adulterium arguatur, & torturæ locus fiat; Vnum est, si ex literis illis dè confessione commissi huius criminis constet; alterum ut & aliæ præsumptiones dè confessione illâ concurrant. Atque arbitror considerandam hîc esse Judici & scribentis personam, & personam recipientis literas illas, & ex qualitate utriusq; cognoscendum, num de ipsis præsumi possit adulterii crimẽ, ut tortura adhiberi queat. Quâ de re disserui etiam in *tract. meo de quæstionib. & torturis c. 3. numero 13.*

41 Est & illa huius loci quæstio, an verisimile adulterij indiciũ ex eo quoq; petatur, ut tortura adhiberi possit, si quis interdiu noctuq; domũ pulchræ uxoris alienæ frequẽtare sóleat, & in ipsam domũ ab eâ clã admittatur?

affirmat ad *l. ult. col. ult. ff. de hered. instit. ut &* alij Doctores, quos memorat, & sequitur Menoch. de præsumpt. *d. lib. 5. præsumpt. 41 num. 2.* Tùm etiam Farinac. *d. quæst. 136. n. 118.* & rectè quidem, cùm enim tria hîc concurrant, pulchritudo uxoris alienæ: frequens diurnus, & nocturnus ad eam accessus; & clandestina maris cuiusdam per ipsammet in domum intromissio; verisimile inde nasci-
44 tur indicium adulterij. Singula hæc per se, & non coniunctim considerata, minimè præstant huiusmodi indicium; ipsa quippe pulchritudo Dei donum est, ait D. Augustin. *de Ciuitate Dei lib. 15. cap. 22.* Et Chrisostomus *Homil. 1. in psalm. 50.* pulchritudo, ait, non est in culpâ; quia donum ea Dei est, Idq; agnouit quoque Honorius *in 3. Illiados*, ubi decoram faciem gloriosum Deorum appellat donum, Ouid. quoque *lib. 3. de arte amandi.* Forma, ait, Dei munus est. Plato item in epistolâ ad Dyonisium Regem affirmare non dubitauit, Deum esse pulchritudinis causam, ac fontem. Et Pacatus ille olim eloquentissimus in Panegyrico suo ad Theodosium scripto, augustissima quæque species ait, plurimùm creditur trahere de cœlo. Sacræ quoque literæ decori vultus nomine, fœminas pudicitiâ cæterisq; virtutibus claras & insi-

gnes

gnes extollunt magnoperè, ut videre licet in Sarâ, Rebeccâ, Rachael, Abigail, Susannâ, Iudith. &c. Quinetiam species corporis pulchra simulachrum est bonæ mentis, & probitatis figura, teste Platone *in Phædro.* Et quidam alius, ipsa, ait, natura magnis mentibus domicilia corporũ digna metatur, & ex vultu hominis decoro colligi potest, quantus illò cœlestis spiritus intrahit habitator.

45

Non possumus ire inficias, quòd ex formosis, & pulchris mulieribus quædam à castitate & pudicitiâ sint alienæ, id quod ex sacris quoque notum est, & ipsa testatur experientia, apud Ezechielem *cap. 16.* legimus; Et habens fiduciam in pulchritudine tuâ fornicata es, & in Ecclesiastico *cap. 13.* in fine dicitur vestigium cordis boni, & faciem bonam difficilè, & cum labore inuenies. Divus quoque Hieronymus in Malach. *cap. 2.* Cur, inquit, pulchritudinẽ quæritis, quæ meretricibus apta est, non uxoribus.

46

Verùm enim verò si animus mulieris formosus, nihil officit ei corporis decor, sed ille marito & uxori gratiosus est: species quippe mulieris exhilarat faciem viri sui, ait Ecclesiasticus *cap. 36.* Et sicut sol oriens mundo in altissimis Dei, sic & mulieris bona spe-

cies, in ornamentum domus eius ait idem Ecclesiasticus cap. 26. Non ergò meretricia & adulterina mens ex formâ mulieris speciosâ æstimanda est, nec ex eâ solâ indicium adulterii petendum verisimile.

47 Quando verò mulieris in corpore pulchro, & decoro mens vitiis libidinosis imbuta latet, ac specie vultus sui formosâ preter maritũ alios ad se allicit, pellicitq; viros, die noctuq; & clàm eos suam in domum frequenter intromittit, verisimile ex eo & probabile adulterii oritur indicium, propter quod reus itemque rea adulterii tormentis de commissio adulterio interrogari possunt, ut supra dictum. Si tamen aliqua causa ingressus illius iusta afferatur, cessat hæc 48 præsumptio. Bursat. *cons. 69. n. 9.* Riminald. *cons. 274. num. 13. & 19. in fin.* Rota *decis. 95. n. 7. part. 2.* Mascard. *de probat. vol. 1. concl. 61. n. 8. & 9.* ubi duo exempla iustæ causæ accessus adducit. Vnum est, si inter marem & fœminam illam consanguinitas, vel affinitas proxima intercedat, atque hoc exemplum robur capit ex *l. si qui adulterij 34. C. ad. L. Iul. de adult.* confert quod tradit Mascard. *de probat. vol. 2. concl. 983. num. 8.* Alterum exemplum est, de eo, qui asserit, se inuenisse filium uxoris alienæ in viâ plorantem, eumque in domum

mum matris portasse, atque hâc ex causâ licitâ ad eam accessisse.

49 Superiori indicio verisimili proximum, & eiusdem ferè generis illud est, si quis in domo pulchrę uxoris alienæ occultatus inveniatur, Bart. quidem *in l.3.n.1.ff.de furt.*& Alexand.ibid. *in addit. ad lit*.B. existimant simpliciter, manifestum argui adulterium ex eo, si quis iuuenis in domo mulieris pulchræ sit deprehensus: Verùm Felin. *in c. preterea, num.12. Extr.de testib.* rectius loquitur, de eo, qui occultatus eiusmodi in domo fuit inuentus. Et de hoc casu Bartholi & aliorum sententiam accipiendam putat Menoch. *d. prasumpt.41. num.11. lib. 5.* & post alios Farinac. *d.quast.136.n.158.* Sed pronũciatum hoc procedere non existimo, nisi ab ipsâmet uxore, vel quâdam aliâ personâ iussu tamen uxoris occultatio illa facta fuerit. Potuit enim mas ille domum mulieris ingredi ipsâ ignorante, Mascard. *d.probat.d. concl. 61. num. 7. & 8.vol.1.* Cęterùm sciente, vel ignorante muliere occultatus sit, & inuentus mas ille, in domo pulchræ uxoris alienæ, ex qualitate & conditione utriusq; maris & fœminæ cognosci potest, Dec. *in c.tertio loco, n.59. Extr. de probat,* quem sequitur Mascard. *de probat. d. concl.61, num.1.in fin.num.8.*

Quapropter Iudex circumspectus & discretus iubetur hîc motum animi sui illis conformare argumentis, quæ huic rei apta compererit, *per text. in c. praeterea 27. in fin. Extr. de testib. & attest.*

50 Indicium adulterij verisimile & illud facit, si uxor aliena visa sit cum mare quodam, non suo marito, simul ingredi in cameram, & ipsa mulier postmodum quodam ex interuallo facie rubricanda, & capillis dissolutis ex eo conclaui rursus egredi visa; nisi rei huius alia probabilis ostensa fuerit causa, Ioann. Baptista Ferrar. *cons. 389. num. 11.* Hippol. Riminald. *cons. 274. num. 48. & seq.* Farinac. *d. quaest. 136. num. 169. & cons. 38. num. 7. lib. 1. consiliorum.* Mascard. *de probat. concl. 452. num. ult. vol. 1.*

51 Est quoque huiusmodi indicium adulterij, si uxor aliena sola cum alio quàm suo viro communi lavacro utatur, Gloss. *in can. non oportet 80. distinct.* Mynsing. *resp. 1. num. 22. decad. 1.* Cùm enim adulterij indiciũ sit, cum alienâ uxore solâ & nudâ cubare in lecto eodem, ut suprâ ostendi *ex c. literis, Extr. de praesumpt.* cur non etiam verisimiliter probaretur adulterium ex communi lavacro, maris cuiusdam, & uxoris alienæ? cum nudam inspicere fœminam alienã in balneo se lauantem,

tem, desiderium concubitus excitet acre, ut exemplum Davidis & uxoris Vriæ testatur euidens, *2.Reg.cap.11.* Tùm etiam exemplum Susannæ, & duorum senum, apud Danielem *cap.13.* Et quia lauacrum uxoris cum viris extraneis & alienis, causa est divortii adulterio proxima, *l. iubemus 11.§. inter culpas C.d. repud.* cur non etiam pro indicio adulterij verisimili haberi deberet, quoad thori separationem, dotis amissionem, quæstionē tormentorum, & extraordinariam pœnam?

52

Huic pronunciato nihil derogat, quod Mascard. *de probat.concl.983.num.9.* scribit, ex communi lauacro illo carnalis copula non probetur concludenter. Non enim illud hîc sentio, quòd copula carnalis concludenter probetur ex huiusmodi indicio, sed quod verisimile indicium, & præsumptio adulterij ex communi lavacro depromatur.

53

Quæritur an verisimile adulterij indicium ex eo quoque petatur, si mas quidam, & uxor aliena in conclaue quoddam soli ingrediantur, & post ingressum strepitus aliquis actui venereo non absimilis audiatur? Mascard. alios sequutus *de probat. vol. 1. concl. 62. num.1. & 2* id sentire videtur, Quinetiam arbitrantur indicium hoc pro plenâ adulterij probatione haberi, si fama concurrat. At

54

K 5 quia

quia strepitus ille aliundè cõtingere potuit, quàm ex venereo complexu, non verisimile, sed leue & remotum illud adulterii indicium putari debet. Id quod sentit etiam Ioann. Zang. *tr. de quaestion. & tortur. cap. 2. num. 76.* Quò facit, quòd delictum non praesumitur

55 in iis, quae indifferenter possunt se habere ad delictum & non delictum, Farinac. *lib. 3. Tract. crim. quaest. 85. num. 34.*

56 Si tamen quaedam aliae praecesserint coniecturae, antequã ingrederentur in cubile, ut amor mutuus, risus, iocus turpis, missio nuncij, tactus, amplexus, osculum, & similia, non iniuriâ cõcursus plurium illorum actuum diceretur verisimile adulterij indicium praestare, *c. praeterea 27. Extr. de testib.* Ioann. Campeg. *tract. de testib. Reg. 385. vers. quartò probatur,* Mascard. *de probat. vol. 1. concl. 62. n. 5.*

57 Farinac. *d. quaest. 136. num. 117. & n. 128.* Nam etiam in criminalibus praesumptiones plures, non quidem certum & indubitatum indicium generant, ut poenae ordinariae sit locus verisimile tamen exhibent criminis indicium quod ad torturam & poenam extraordinariam sufficit, ut alios referens scribit Menoch. *lib. 1. de praesumpt. quaest. 40. num. 9.* & Vincent. Hondedae. *consult. 102. num. 5.* & *6.*

Quocirca ex huiusmodi indicio agi quoque

que poteſt ad thori ſeparationem, & dotis amiſſionem, *c. literis*, *12. Extr. de præſumpt. & c. 4. Extr. de donat. int. vir. & uxor.* Laurent. Kirchov. *cent. 1. comm. concl. concl. 5.* A quâ tamen ſententiâ diſcedit Menoch. *lib. 1. de præſumpt. quæſt. 40. num. 5.* ubi, in causâ, ait, matrimoniali cum agitur de illius ſeparatione, duę præſumptiones, vel plures non coniunguntur ad faciendam plenam probationem, atque hanc in ſententiam citat Alex. *conſ. 143. num. 4. vol. 2.* Dec. *conſ. 133. num. 3. & conſ. 310.* & Gratum, *conſ. 38. num. 2. vol. 2.* Sed hi loquuntur de præſumptione, quæ ex unius teſtis depoſitione, & famâ depromitur, ut ipſemet etiam Menoch. agnoſcit. Hîc verò agimus de præſumptionib. pluribus ad ipſum adulterii crimen arguendum collimantibus, atque ita coniunctim veriſimile adulterij indicium conſtituentibus.

59 Connumerant quidam præſumptionibus adulterij etiam allocutionem viri & uxoris alienæ, loco & horis rei venereæ commodis, Hos ita ſentientes collegit, Farinac. *tit. de delict. carnis, quæſt. 136. num. 113.*

60 Iisdem proximi ſunt, qui præſumptionibus hiſce adponunt etiam confabulationem viri, & uxoris alienæ aſſiduam, quos recenſet idem Farinac. *d. quæſt. 136. num. 115.*

Non-

Nonnulli huius generis indicium quoque esse volunt, si mas aliquis uxorem alienam, & hæc ipsum vicissim conuiuio accipiat frequenti, Gloss. *in l. quod ait, lex. 23. in verb. in ipsis rebus, ff. ad L. Iul. de adult.* Blanc. *tract. de indiciis, num. 69* Farinac. *d. quæst. 136. n. 123. & seq.*

61 Non desunt etiam, qui hisce præsumptionibus adiiciunt transmissiones munerum, & jocalium, quos memorat idem Farin. *d. quæst. 136. num. 125.* ut si uxor aliena Iuueni cuidam ceruicalia, strophyola, argenteos stylus, & id genus alia mittat, cuiusmodi munerum missionem inter hæc ponit indicia Ioann. Campeg. *tract. de testib. Reg. 384. vers. quartò probatur*, & Ernest. Cothman. *resp. 16. num. 88. & seq. vol. 3.*

62 Quamuis autem isthæc indicia à citatis Doctoribus non immeritò annumeretur adulterij præsumptionibus, non tamē singula, sed cōiuncta verisimile adulterij indicium præstare puto: In adulterij enim probatione, vel etiam suspicionibus de adulterio vindicat sibi locum axioma illud: Et quæ non prosunt singula, multa iuuant, Bald. *cons. 421 num. 4. vol. 5.* Ludov. Roman. *cons. 451. num. 5.* Mascard. *de probat. vol. 1. concl. 62. n. 6.* Ernest.

63 Gothm. *d. respon. 16. num. 102. vol. 3.* Atque hoc modo probato adulterio, locus esse potest torturæ,

torturæ, vel omissis tormentis pœnæ extraordinariæ, putà pecuniariæ, vel alij, itemque separationi thori, & dotis amissioni, non etiam capitali animadversioni, per tradita Oldradi *cons. 192. incip. viso diligenter processu,* Crauet. *cons. 73. num. 19. cons. 134. n. 39. & cons. 178. num.* 1. sentiunt idem, quos citat, & sequitur Menoch. *lib.* 1. *de præsumpt. quæst. 40. num.* 11. 12. *&* 13. *& præsumpt. 97.* & Farinac. *tract. crim. tit. de reo confesso & conuicto, quæst. 86. num. 5. & num. 34.* Cothman. *d. resp. 16. num. 16. num. 101. 102. & 103. vol. 3.*

64 Dubitatur de uxoris à marito inscio, vel inuito abnoctatione sine iustâ causâ, an sit adulterii indicium? Quidam affirmant, inter quos etiam Ang. *in Novell. 22. §. mitiores,* Felin. *in c. preterea, num. 3. Extr. de testib.* Menoch. *cons. 31. num. 21. & 25. lib. 1. & de præsumpt. lib. 5. præsumpt. 41. num. 23. & seq.* Mascard. *de probat. vol. 1. conclus. 60. num. 1.* & alij quos citat Farinac. *d. quæst. 136. num. 176.* Et hoc indicium Menoch. appellat Iuris præsumptionem *d. cons. 31. num. 25.* de quâ præsumptione Iuris differit eleganter idem Menoch. *lib. 1. de præsumpt. quæst. 4. & quæst. seq. 5.* Et pro hâc adulterij præsumptione adducitur textus in *l. consensu 8. C. de repud.*

65 Sed hanc opinionem reprobat Crauett.

*cons.*

*conf.20 5.n.* 18. ubi ſcribit, quod *d. l. conſenſu;* nihil probet, quòd ex pernoctatione adulteriũ præſumatur, cùm doceat ſolùm, quod maritus ex causâ pernoctationis repudii libellum mittere uxori poſſit; at non ſequi inde, quòd ex penoctatione etiam adulterium arguatur, cùm poſſet pernoctare uxor cum aliis mulieribus, aut etiam honeſtis viris, & tamen non lædere matrimonii fidem. Cravettam ſequitur Menochius, & adprobat hanc ipſius opinionem, *d. lib. 5. præſumpt. 41. num. 25.* Polydorus autem Ripa *tract. de nocturno tempore, cap. 36. num. 27. & ſeqq.* contradicit Crauettæ, & ſcribit, quòd ſola pernoctatio ſine conſenſu viri ſufficiat etiam ad condemnandum in extraordinariam adulterii pœnam: quam ſententiam ſequitur quoque Farinac. *Tit. de delict. carn. quæſt. 136. num. 24. & num. 183.* Et quia ex hoc adulterii indicio maritus uxorem repudiare poteſt; non video cur non etiam per Iudicem extraordinariâ plecti pœnâ poſſet?

66 Si tamen uxor illa apud coniunctos nobiliores, non viliores pernoctaverit; ceſſat hæc præſumptio, Gloſſ. *in d. l. conſenſu 8. §. vir quoque, in verb.* Foris. *C. de repud.* & Farinac. *d. quæſt. 136. num. 178. & 183.*

Huic

Huic adulterij indicio proximum illud esse videtur, si uxor sine licentiâ mariti ex domo ipsius discedat, & extra eius domũ commoretur, Farinac. *d. quæst.* 136. *num.* 184. ubi Hipolyti Riminaldi, Menochii, & Mascardi authoritatem pro hâc opinione allegat: qui tamen non simpliciter id affirmant, sed loquuntur de casu, quo uxor à marito suo discedens alicubi cohæret mari cuidam alij, veluti concubino suo, quod certè factum verisimile adulterij indicium præstat meritò, nisi qualitas utriusque illius personæ aliud suadeat, & justam discessus sui causam uxor doceat. 67

Est quoque verisimile adulterij indicium, si uxor alicuius in domo lenonis vel lenæ cum maribus alienis conversetur, vt rectè sentit Crotus *cons.* 413. *in fin. & num.* 31. quem sequitur etiam Farinac. *d. quæst.* 136. *n.* 186. Ipsa quidem conversatio cum aliis malæ famæ hominibus, non est per se criminis indicium verisimile, sed si cum ea concurrat adminiculum aliud, oritur inde eiusmodi indicium, ut tradunt, quos memorat & sequitur Menoch. *lib.* 1. *de præsumpt quæst.* 89. *n.* 125. Cùm ergò hoc ꝓposito casu tres cõcurrant cõiecturæ diversæ, ut sunt, quòd fœmina illa est uxor aliena, quòd eadem illa in suspectâ 68

leno-

lenonis domo versatur, quodq; ibidem conuersatur cum maribus alienis, meritò nascitur inde verisimile adulterij indicium, ex quo ad thori separationem, dotis amissione, pœnam extraordinariam, & torturam procedi potest, per ea, quæ suprà de huiusmodi indiciorum effectu sunt dicta.

69 Est & hæc verisimilis adulterij præsumptio, si uxor à marito suo recedat, & alio cum viro cohabitet, per text. *in c. plerumque* Extr. *de donat. int. vir & uxor.* confert *text. in can. nec aliqua 27. quæst. 1. & d. l. consensu 8. C. de repud.* sentit idem Menoch. *d. cons. 31. num. 22. lib. 1.* & Mascard. *de probat. vol. 1. concl. 312. num. 26.* ubi hanc præsumptionem violentam vocat Iuris præsumptionem, consentit Farinac. *d. quæst. 136. num. 187.*

70 Adhæc si uxor alicuius adulterio se polluerit aliquando, & reconciliata marito suo ex quibusdam conjecturis denuò suspecta fiat de adulterio, ut si in loco sejuncto, secluso cum mare quodam alieno collocuta, & oscula sibi dari ab ipso passa sit, verisimile adulterij noui indiciū nascitur contra ipsam, Roman. *cons. 167. numero 7. & 8.* Ioann. Cephal. *cons. 82. numero 33. & seq. lib. 1.* Menoch. *d. cons. 31. num. 24. vol. 1.* Farinac. *d. quæst. 136. num. 188.* Mascard. *de probat. concl. 64. num. 11.*

*vers.*

*verſ. Et eo magis, & verſ. ſeq. vol.1.* Semel enim malus ſemper præſumitur malus in eodem mali genere, *c. ſemel. Tit. de Reg. Iur. in 6.* & à præterito tempore ducitur Iuris præſumptio ad tempus præſens & futurum, ut eleganter tradit Euerhard. *in topic. legal. in loco à tempore ad tempus.*

71 Sunt & alia plura cõmiſſi adulterij indicia uſu obſervata, putà ſi uxor ab amáſio ſcriptas ſibi literas per tabellariũ marito redditũ iri intelligat, ipſum tabellarium diligenter & per Deum cum præmiorum promiſſione, & lachrymarum effuſione rogauerit ne id faceret, ſed eas ſuppri meret, igniq; abſumeret, quæ res non levem ſuſpicionem mentis malè ſibi conſciæ parit, *c. conſuluit. extra de off. deleg.* Cothman. *reſp. 16. num. 64. vol. 3.*

72 Eſt item adulterii indicium, ſi uxor, cum ei maritus ſcriptas ab Amaſio literas prælegeret, valdè contremuerit, trepidaverit, vultumq; ſuum colore mutaverit. Trepidatio enim, & coloris faciei mutatio indicium præbet noxæ trepidantis; *l. de minore 10. §. plurimum, ff. de quæſtionib.* Cothm. *d. reſp. 16. num. 65.*

73 Exhibet quoque adulterij præſumptionem, ſi uxor res ſuas collegerit, & alium in locum tranſtulerit, ibique Amaſius ipſius

L aduen-

aduentum eius præstolatus sit: Gravis enim suspicio contra eum surgit, qui rebus etiam proprijs collectis fugam adornat, *arg. l. ab hostibus 15. §. ult. ff. ex quib. caus. maior. & l. 1. & l. 2. ff de migrando*, Cothman. *d. respons. 16. num. 65. & 91. vol. 3.*

74 Excitat & illud contra uxorem quandam adulterij cum ministro demestico commissi suspicionem, si uxor ipsum ministrum delicatius, quàm alios famulos, & ancillas tractauerit, oua sigillatim ipsi præparando, gallinas, & carnes assatas exhibendo, vinum aliumvè potum meliorem præbendo; ut arguit Gloss. *in l. quod ait lex, 23. in verb.* In ipsis rebus, *ff. ad L. Iul. de adult.* Hipol. Riminald. *cons. 274. num. 28. lib. 3.* Ernest. Cohtman. *d. respons. 16. num. 70.*

75 Parit & illud quandam adulterii præsumptionem, si uxor adolescentem aliquem sibi familiarem, lasciuiore compellatione insolito more suum nominare filium, & fraterculum, simulque in amplexum eius irruere soleat. Compellationes enim, & amplexus lasciuiores suspectos esse in conjuge non est ignotum, Abbas *in c. praeterea, num. 7. Extr. de testib.* Ioann. Lupus *alleg. 53.* & Hipol. Riminald. *cons. 274. num. 9. lib. 3.* Cothman. *d. resp. 16. num. 71. vol. 3.*

76 Adulterij quoque suspicionem generat non

non vulgarem, si uxor cuidam Amasio suo mariti annulum pronubum, siue sponsalitium utendum dederit, annulus enim sponsalitius inter coniuges arctissimi fœderis, & vinculi, flagrantissimique amoris tessera habetur, & pignus indissolubilis societatis conjugalis *c. illud 11. vers. mulier, Extr. de præsumpt. c. tenor. 10.* ubi Cuiac. *Extr. de sentent. & re iud. & l. si donata 36. §. 1. ff. de don. int. vir. & uxor.* Glossa *in c. pen. c. cum apud, & c. tua Extr. de sponsalib. can. nostrates 30. quæst. 5.* Gloss. *in can. hortante, 32. quæst. 2.* Zas. *cons. 11. num. 66. & seq. libr. 2.* Hotoman. *cons. 39. num. 16. & 17. &* Cothman. *d. respons. 16. num. 73. vol. 3.*

77 Præbet quoque adulterij præsumptionem, si mas aliquis uxori alienæ, & maximè suæ heræ non inuitæ labium inferius digito percutiat, den Brum schlage. Est enim tactus, & actus ille petulans, velut impudicitiæ ludus, quẽ uxor aliena honesta, pudica & casta à ministro maximè suo perpeti nõ debet. Bald. *in c. tua, n. 4 Extr. de procuratorib.* Hieronym. Gratus *resp. 115. num. 9. lib. 1.* Cothman. *d. respons. 16. num. 79.*

78 Hæc & id genus alia adulterij indicia ad pœnam quidem ordinariam non proficiunt, In criminibus enim capitalibus, ut pœnæ ordinariæ locus sit, requiruntur probationes luce meridianâ clariores, non solùm Iure

Ciuili, *l. ult. C. de probat*, Farinac. *tract. crim. Tit. de reo confesso & conuicto quæst. 86. num. 1. 3. 5. & 6.* Wesembec. *in paratit. ff. tit. ad L. Iul. de adult. num. 17.* Sed & Iure Diuino etiam in adulterii probatione, Leuit. *20. verſ. 10.* Deuter. *22. verſ. 22.* & Ioann. *8. verſ. 4.* Proſunt tamen quædam eiusmodi indicia ſimul iuncta, ut veriſimilia criminis huius argumenta, proſunt inquam ad diuertium, & dotis amiſſionem, *c. literis* ubi Innocent. & Abbas *num. 1. Extr. de præſumpt.* Matthesilan. *ſingul. 118.* Crauett. *conſ. 205. n. 20.* Menoch. *conſ. 31. n. 25. lib. 1. & de præſumpt. lib. 5. præſumpt. 41. n. 13.* Erneſt. Cothman. *d. reſponſ. 16. num. 96. vol. 3.* Proſunt item ad torturam, Menoch. *de præſumpt. lib. 1. quæſt. 40. n. 9* Farinac. *Tit. de reo confeſſo & conuicto, quæſt. 86. num. 72.*

79

80 Conducunt etiam ad pœnam aldulterij extraordinariam, per tradita Menochii *d. præſumpt. 40. num. 15. lib. 5.* Fachinæus tamen *lib. 1. controverſ. cap. 29.* ad torturam ſolùm proficere haſce præſumptiones arbitratur, non ad pœnam aliquam extraordinariam. At ſi ad torturalem ſufficiunt quæſtionem præſumptiones illæ, non video cur non etiam ad extraordinariam prodeſſe debeat pœnam, cùm tortura multò gravior ſit, & acerbior ipſi reo, quàm extraordinaria quædam pœna pecuniaria

niaria vel alia, & fieri possit, ut purgatis per torturam indicijs, ipse reus ut insons impunitus dimittatur, quantumvis sit gravatus indiciis non levibus, per tradita Menochij *de præsumpt. lib. 1. quæst. 93.*

81 Quæ hactenus dicta sunt de thori separatione, ob verisimilia adulterij indicia in uxore alienâ, intelligi quoque debent procedere in sposâ alienâ, quòd & illa Iure possit repudiari ob malos eiusmodi mores, ut in terminis respôdet Matth, Coler. *cons. 18.* Quò conferunt, quæ suprà cap. 1. dixi, in quæstione an adulterium etiam cum alienâ committatur sponsâ.

82 De Indiciis adulterij tùm certis, & indubitatis, tùm etiam verisimilibus per se, & quæ ex coniunctione diversarum præsumptionum leuium verisimilitudinem adulterij constituunt, dictum est hactenus: sequitur modò de testibus, quibus ipsa adulterij indicia probantur: Est enim illud alterum capitis huius Quarti membrum.

83 Primùm autem quæri hîc potest, an singulares testes, ut qui de singulis actib. deponunt, ad præstandam per indicia adulterij probationem idonei sint, nec ne? Certum est quòd testes singulares non probant. *c. bonæ memoriæ, §. excessus*, ibi singuli tamen ve-

ſtrûm eſſent in ſuo teſtimonio ſingulares, *c. cum. dilectus, 31. verſ. etſi tres*, ibi, eo quòd ſinguli eſſent in ſuis teſtimoniis ſingulares, *Extr. de election. & electi poteſt. c. tam literis, 33. in princ. Extr. de teſtib. & c. 3. Extr. de ſucceſ. ab inteſt.* Farinac. *de teſtib. quaeſt. 64. num. 33.* Sed quæritur an pronunciatum hoc procedat etiam in crimine adulterij? Doctores noſtri opinionibus ſuis hìc variant, Quidam aiunt, aliqui negant, Vtriuſque ſectæ authores & patronos adducit Ant. Gabriel, Roman. *lib. 2. comm. concl. concl. 2. n. 51.* & latiſſimè Farinac. *tract. de teſtib. lib. 3. Tit. 7. quaeſt. 64. n. 223. 225. & 226.* in concordiam autem opiniones illas reduci poſſe, alios ſequutus putat ibidem *num. 227. & n. 250.* ſi dicamus affirmatiuam intelligendam eſſe de probatione adulterij per teſtes ſingulares in genere, negatiuam verò exaudiendam de probatione adulterij per ſingulares teſtes in ſpecie. Sed quo ſenſu intelligendum id ſit, dubium eſt, ut agnoſcit quoq; Iul. Clar. *in pract. crim. §. fi-*
84 *nal. quaeſt. 53. num. 19.* Ipſe autem exiſtimat, in genere dici crimen per teſtes ſingulares probari, ſi non agatur de pœnâ infligendâ, ſed ad alium finem, putà excipiendo de adulterio ad priuationem dotis, vel de alio crimine ad diminuendam fidem teſtis. In ſpecie autem

autem per teſtes ſingulares probari crimen adulterij, quando tractatur de puniendo aliquem criminaliter, & tunc non probari crimen per depoſitionem teſtium ſingularium.

85 At non puto hanc eſſe Doctorum noſtrorum ſententiam, quando diſtinguunt inter criminis probationem in genere, & probationem criminis in ſpecie. Antequam enim de effectu criminis agatur, de ipſo crimine conſtare debet, ut ex eo judicari de ipſius effectu poſſit.

86 Arbitror autem teſtes ſingulares de adulterij crimine teſtificari in genere, quando unus deponit ſimpliciter, quòd Titium & Bertam adulterium committere viderit, at ſine mentione loci & temporis, ubi & quando patratum ſit adulterium. Et alter teſtis ſimiliter teſtificetur, quòd easdem perſonas adulterium committere animaduerterit, nec tamen addit ubi, & quando. In ſpecie verò teſtes ſingulares de adulterio teſtificari puto, ſi unus deponat, quod ſempronium in horto Titij viderit decimo Maij horâ ſeptimâ matutinâ cum Agatha uxore Caij adulterium committere. Alter verò teſtificetur, ꝙ easdem perſonas eodẽ die & horâ in ædib. Arthuſæ adulterio ſe polluere viderit. Adulteriũ cõmittere certas pſonas, genus eſt

At personas easdem diuerso loco & tempore, putà in horto Titii, in domo Arethusæ decimo Maij, horâ septimâ matutinâ patrare adulterium, species est. Hâc cum descriptione consentit opinio Farinacij *d. quæst. 64. num. 150. 154. 155. & 225.* ubi testes, ait singulares probant adulterium in genere.

87 Non autem probant certum adulterium, si loco & tempore sint discordes, per certum adulterium intelligit (ut opinor) adulteriũ, quod certo loco, & tempore per testes in specie describitur, in ipso tamẽ loco, & tempore testes sunt discordes, quorum singularitatem Dd. obstatiuam appellant singularitatem, Farinaç. *d. quæst. 64. num. 5.* Talis testificatio adulterii fuit duorum senum, de prætenso, fictoque adulterio Susannæ, cùm unus sub pino, alter sub schino unicâ vice adulterasse Susannam diceret, cuius exempli meminit etiam Farinac. *dict. loco*, & alii alibi.

88 Estque hîc generaliter sciendum, quòd testes singulares singularitatis obstatiuæ, sive obstaturæ, (ut qui de actibus loco, & tempore contrariis, non iteratis testificantur) nihil probent, per ea quæ lõgo stylo ex consensu Doctorũ tradidit Schrad. *tract. de feud.*

*part.*

part. 2. partis nona princ. sect. 13. num. 114. Tùm etiam Francisc. Curt. Papiensis *tract. de testib. concl. 46.* Michael Graff. *lib. 2. comm. opin. c. 17. quæst. 27.* Mynsing. *cent. 3. obs. 76. & in c. licet. 47. num. 15. Extr. de testib.* & Farinac. *tract. de testib. libr. 3. Tit. 7. quæst. 64. num. 54.*

89 Quam opinionem confirmant Iuris textus de testibus singularibus suprà adducti, Vnde non possum consentire illis, qui scribunt, quod si testes singulares sint nobiles, & spectatæ fidei, probitatis & integritatis, ut iudicem adducant ad indubitatam fidem, Iudex singularitatem illam curare non debeat, sed iuxta eorum testimonia iudicare, cuius sententiæ sunt, quos citat & sequitur Mynsing. *d. obs. 76.* Cùm enim testis unus alteri sit contrarius, aut duo testes sint duob. aliis testibus contrarii, non video, quî possit Iudex ipsorum testimonia sequi, & secùdùm ea iudicare, nisi in casu, quo duo testes integræ opinionis, & fidei indubitatæ, unius eiusdemq; sunt testimonij, & honestate suâ duos alios vincunt.

90 Idem etiam sentiendum est de testibus singularibus, singularitate diversificativâ deponentibus, Schrad. *de feud. d. part. 2. part. 9. princip. sect. 13. num. 114. vers. idem quoque Iuris,* Mynsing. *in c. licet 47. num. 15. Extr. de testibus,*

Farinac. *de testib. Tit. 7. quaest. 64. num. 55.* Sunt autem eiusmodi testes, qui de actibus eiusdem quidem generis, non tamen reuerà contrariis, sed loco & tẽpore diuersis deponunt; ut si unus testis deponat de adulterio commisso in uno loco, & certo tempore, alius verò testificetur de adulterio patrato alio diverso loco, & alio tempore, ut patet ex Farinac. *d. quaest. 64. num. 7.*

91 Anthonius tamen Gabriel. Roman. *lib. 1. conclus. comm. concl. 2. num. 10.* ut & alij quos citat Mascard. *de probat. vol. 1. concl. 59. num. 19.* hos testes probare autumant. Verùm opinio ipsorum admittenda non est, Tùm quia regula Iuris est generalis, quòd testes singulares nihil probent, ut suprà ostendi: tùm quia huiusmodi etiam singularitas testium diuidit testimonia, & singuli actus unum solummodò testem habent, Bald. *cons. 406. vol. 1. & cons. 25. col. 1. vol. 3.* Crauett. *cons. 41. num. 7. & cons. 264. in princ.* Vnus autem testis non probat, *l. Iurisiurandi 9. §. 1. C. de testib.* sed ut minimum duo requiruntur testes ad quemlibet actum probandum, *l. ubi numerus 12. C. d. tit. c. veniens 10. in fin. & c. licet 23. Extr. d. t.*

92 Tùm etiam quia testium singularitas dubitationem, & incertitudinem parit, Salic. *in l. testiũ 18. quaest. 9. C. de testib.* Alexand. *cons. 64*

col. 2.

*col.2.vol.6.* Crauett. de antiquit. temp. *part.4.* *§. sed enim, num. 7.* probatio autem incerta & dubia non meretur probationis nomẽ, *arg. l. matrem 17.* ubi Bald. id notat. *C. de probat.* Tum postremò, quia ex singularitate testium quædam inducitur contrarietas, Alex. *cons. 21. col.2. vol.4.* Crauett. *cons. 9. num. 18.*

93 Quoniam verò adulterium actus est iterabilis, proindeq; diversis locis, & temporibus successiuè fieri potest, si actus illi singuli duobus probentur testibus, probatum dicitur adulterium, ut sentiunt quos refert, & sequitur Farinac. *d. quæst. 64. num. 155. 162. & 228.* Duobus enim testibus probantur actus hominum, *l. ubi numerus 12. C. de testib. c. veniens 10. in fin. & c. licet 23. Ext. d. t.* De actu iterabili & iterato, videndus quoque idem Farinac. *d. quæst. 64. n. 85. 86. & 87.*

94 De huiusmodi casu intelligendus est Mascard. *de probat. vol.1. conclus. 63. num. 1.* Quando adulterium, ait, illo die & loco fuisse perpetratum, si quis testis deponat, alius aliter asserat, sicque sint singulares, non idcircò adulterij probatio euanescit. Et *num. seq. vers. distingue*; Si, ait, per reductionem testium ad cõcordiam per diversitatem actuum non remanet integra ꝓbatio super quolibet actu, tunc non fit reductio, ut probet adulterium,

Si autem remanet integra probatio super quolibet actu, tunc fit reductio, ut probent.

95 Est & alia testium singularium quædam singularitas, quam Dd. appellant singularitatem adminiculatiuam, item cumulatiuam singularitatem, ut quando in testibus nulla est repugnantia, vel contrarietas, sed unius testimonium coadiuuat dictum alterius, & quamvis singulares illi testes quodammodò sint dissimiles, ad eundem tamen finem tendunt, ut quando unus testis de ipso facto deponit, alter de famâ; unus de visu proprio, alter de proprio auditu; unus de rei confessione unâ, alter de aliâ eiusdem confessione, ut sentiunt, quos refert & sequitur Farinac. *d.quæst.64.num.6.* nec dissentit Mynsing. *in c. licet 47. num. 10. & seqq. Extr. de testib.* neque Michael Grassus *lib.2.comm.opin.cap.17. quæst. 27. vers. secus est,* ubi in singularitate, ait, testium cumulatiuâ nulla est contrarietas, vel diuersitas effectuum, sed probationes licet sint de diuersis actibus, tamen cumulantur ad eundem effectum, ut quia per diversos & plures actus in genere probatur, mulierem fuisse & esse inhonestæ seu infamatę vitæ; & tales testes admittuntur, proque hâc sententiâ citat etiam Glossæ & Dd. authoritatem

Con-

Consentit Francisc. Curt. Papiensis *tract. de testib. concl. 46.* ubi duplex, ait, est singularitas in testibus, Altera obstatura, ut in testibus Susannæ, & tunc dictũ unius minuit, & debilitat dictum alterius: Altera singularitas adminiculatiua, ut cum unus testis de veritate, alter de confessione deponit, & tunc unus adminiculatur alteri, quia concordant in eundem rei finem, Allegat similiter pro hâc opinione suâ Glossæ & Dd. testimonia. Amplectitur eandem sententiam post alios quos sequitur Farinac. *d. quæst. 64. num. 128. 129, & seq.*

96 Quæ autem huius probationis testium singularium, singularitatis adminiculatiuæ, vis & effectus sit, quæri hîc potest? Gozadin. *cons. 79. col. 3.* opinatur, si unus deponat de facto, alter de confessione, plenam hanc esse probationem, licet testes sint singulares. At alii existimant, semiplenam hanc esse probationem, ob quam in supplementum deferri juramentum possit, quos citat, & sequitur Crauett. *cons. 73. num. 34.* & Farinac. *d. quæst. 64. num. 52. item num. 113. & 131.*

97 Vt autem ex hâc testium singularitate procedi quoque ad torturam queat, testes illi idonei, & omni exceptione maiores esse debent, non infames, aut alio vitio laborantes. Deponere

ponere quoque debent de indicijs non remotis, sed ipsi delicto proximis. Testificari etiam jubentur singulares hi testes de pluribus indiciis, & quidem illis, quæ animum Iudicis de ipso delicto certum reddant, Farinac. *lib. 1. tract. crim. tit. 5. de indiciis & tortura, quæst.*

98 *37. num. 38. & seqq.* Cùm enim tortura hominis salutem, & ipsius vitam concernat, & ipsa loquatur experientia, haud rarò contingere, ut torti propter doloris impatientiam fateantur crimen, licet nunquam illud commiserint, ut testatur ICtus Vlp. *in l. 1. §. quæstioni 23. ff. de quæstion.* non temerè Iudex ad tormenta reorum procedere, sed prius cuncta indicia diligenter rimari, & testium conditionem & qualitatem accuratè perpendere debet.

99 Verisimilia siue probabilia ut sint indicia criminis, desiderant Iura, *l. milites 8. §. 1. C. de quæstionib.* & testes ad minimum duo requiruntur ad probandum indicia quæstioni in reo exercendæ commoda, & quidem testes integræ vitæ scelerisq; puri, Peinlichs Halßgerichts Ordnung Kayser Carls deß fünfften *art. 23. & art. 30. in fin.*

100 Cæterùm singularibus testibus connumerandi non sunt illi, qui deponunt, quòd per unam rimulam, siue foramen unum, & quidem unus post alium successiuè viderit

maritum & uxorem alienam in conclaui quodam adulterium committere ita sentiunt, quos citant & probant Ioann. Campeg. *tract. de testibus in Reg. 385. vers. secundò quia licet.* Mascard. *de probat. vol. 1. concl. 59. n. 17. & concl. 65. num. 2. &* Farinac. *tit. de delict. carnis. quæst. 136. cap. 2. n. 28. & tract. de testib. lib. 3. Tit. 7. quæst. 64. num. 91.* Quando enim ordo, & vicissitudo facti nō permittit aliquid simul fieri, sed successiuè, tunc illud etiam simul fieri dicitur, *l. Antiqui 3. ff. si pars. hered. petat. l. Arescusa 15. ff. de stat. hom.* Mascard. *d. concl. 59. num. 18.* Et ita deponentes têstes non videntur testificari de diversis adulterii actibus, sed uno tantùm, Campeg. *d. loco.*

101 Domestici quoque tēstes regulariter non probant, *l. etiam 8. C. de testib. l. testes eos, & l. pen. ff. d. t. can. si. testes, §. testes 4. quæst. 3. c. literis, Extr. de testibus.* Farin. *tract. de testibus lib. 2. tit 6. quæst. 55. inspect. 1. num. 1.* Sed quæritur an recipiendi sint in causâ adulterij? Regulariter quidem non admittuntur in causis criminalibus, *per text. in l. 1. §. ad quæstionem, ubi post alios* Marsil. *ff. de quæst.* In probationem tamen adulterij recipiuntur, per text. *in l. consensu 8. §. servis etiam. C. de repud.* & tradunt Doctores quos citant Mascard. *de probat. vol. 1. concl. 59. n. 20.* & Farinac. *tract. de testib. lib. 2. Tit. 6. quæst. 55. num. 43. & tract. de delict. carnis, quæst. 136. n. 45.*

Ratio

102 Ratio est, quòd adulterium clàm & occultè committi solet, & veritas de adulterio cõmisso plerumque haberi non potest, quàm per domesticos testes, & domestici magis informati creduntur, quàm extranei, *c. veniens. in fin. Extr. de testib. & l. quoties, C. de naufrag. lib. 11. can. super prudentia 14. quæst. 2.* Farinac. *tract. de testib. lib. 2. Tit 6. quæst. 55. num. 35. & sequent.*

103 Probant quoque verisimiliter adulterium, duo, pluresve testes, qui deponunt ritè; quòd marem & fœminam uxorem alienam in ipso complexu venereo, & adulterinis actibus jacere viderint, *c. præterea 27.* ubi Canonistæ *Extr. de testib & c. literis 12. ubi Dd. Extr. de præsumpt.* Mascard. *de probat. vol. 1. concl. 59. num. 1.* Farinac. *tit. de delict. carnis, quæst. 136. num. 60.* Zanger. *de quæstion. & tortur. cap. 2.*

104 *num. 73. vers. sic etiam.* At testes qui testificantur simpliciter; quòd viderint virum aliquem supra mulierem, uxorem alienam jacere; nec dixerint in actibus venereis, nequidem verisimiliter probat adulterium; solus enim cubatus ille supra mulierem, non est certum aliquod carnalis commixtionis argumentum, sed præbet tantùm præsumptionem quandam concubitus violentam, ut indicat textus *in c. præterea Extr. de testibus,*

*& c. li-*

*& c. literis Extr. de praesumpt.* Idque sentiunt etiam Dd. in *d. c. praeterea. Extr. de testib. & c. tertio loco. Extr. de praesumpt.* quos sequuntur Roland. à Vall. *cons. 7. n. 9. vol. 1.* Marsil. *cons. 1. num. 47. & cons. 28.* Mascard. *de probat. vol. 1. concl. 59. num. 4.* Confert huc; quòd opus copulae carnalis sensui visus reuerâ non patet; cùm cernere spectator nequeat, an mas genitale suum membrum pudendis foeminae immiserit nec ne, proindeq; scire testis non possit certò, quòd mas cubatu illo suo cum uxore alienâ adulterium cōmiserit, *Gl. in d. c. literis, in verb.* ut credebant, *Extr. de praesumpt.* & ibi Hostiens. *num. 1.* Mascard. *de probat. vol. 1. concl. 452. num. 3.* & alij quos citat Farinac. *tract. de delict. carnis, quaest. 136. n. 35. 36. 54. 57. 59. 62. & 66.* Facit huc; quòd esse possit, ut mas sit impotens, aut foemina adeò arcta, ut virum admittere nequeat. de quibus vitiis text. est *in c. 1. & c. 5. & 6. Extr. de frigidis & maleficiatis.*

105

Eiusmodi autem praesumpta adulterij probatio ad torturam sufficit, Zang. *d. cap. 2. num. 73. vers. existimarem igitur*, & Farinac. *d. quaest. 136. num. 63. & tract. de reo confesso & conuicto, quaest. 86. n. 14. & 94.* Cùm enim cubatus ille supra mulierem, & actus venereus, corporis putâ agitatio obscoena verisimile exhi-

106

beat coitus indicium, locus esse potest torturæ, per text. in l. milites 8. §. 1. C. de quæstion. Sufficit item probatio hæc ad pœnam criminalem extraordinariam, puta pecuniariam, vel aliam, ut tradunt Dd. quos refert & sequitur Farinac. tract. de reo confesso & convicto, quæst. 86. num. 5. 16. 17. & 18.

107 Quid verò dicendum si unus solùm testis de visu deponat, & alia adminicula hic concurrant? Probationem hanc adulterij verisimilem esse arguit text. in d. c. præterea. 27. Extr. d. testib. proindeq; eam ad torturam sufficere ait, per text. in d. l. milites 8. §. 1. C. de quæstion. Idquè post alios sentit etiam Mascardus de probat. vol. 1. concl. 450. num. 13.

Eandem probationem ad extraordinariam quoque prodesse pœnam, tradunt Dd. quos citat & sequitur Menoch. de præsumpt. lib. 1. quæst. 98. num. 1. & seqq. Farinac. dict. quæst. 86. num. 26. 27. & 34. & tract. de indicijs & torturæ, quæst. 47. num. 11. & seqq.

108 Quæri hic etiam potest de testibus, qui deponunt, quòd virum & mulierem uxorem alienam in camerâ se carnaliter commiscentes, per tenuem parietem, vel cortinam audierint? Auditus quidem ille solus nihil probat, si tamen cum eo alia concurrant adminicula, verisimile adulterij indicium

dicium efficitur, ut arguit text. in *d. c. praeterea*, ubi Mynsing. & alij. *Extr. de testib.* Idque sentiunt etiam Doctores, quos congessit Farinac. *tract. de testibus lib. 3. Tit. 7. quaest. 69. cap. 7. n. 197. & tract. de delict. carnis, quaest. 136. n. 40. & seq. & n. 64.*

109 Prodest autem huiusmodi probatio non ad condemnationem, sed ad rei torturam, ut scribit Farinac. *d. quaest. 136. num. 41.*

Non obstat opinio Zangeri *d. tract. de quaest. & tort. cap. 2. numero 76. vers. quinimò putant*, loquitur enim de solo auditu, pronunciatum verò hoc nostrum conceptum est de auditu, cum quo alia adulterij adminicula concurrunt.

110 Conducit quoque hæc testium depositio ad extraordinariam adulterij pœnam, Farinac. *d. quaest. 69. cap. 7. num. 210.* Itemque ad thori separationem, & matrimonij dissolutionem, *d. c. literis 12. Extr. de praesumpt.* Farinac. *d. tract. de testib. lib. 3. Tit. 7. quaest. 69. cap. 7. num. 203. 204. & 205.* & proinde etiam ad dotis amissionem. *c. 4. Extr. de donat. int. vir. & uxor.*

111 Non est hoc loco omittenda quæstio, an probent testes adulterium, qui simpliciter nullâ redditâ ratione deponunt, se scire, quòd Titius & Martha uxor aliena carna-

liter se cognouerint? Negatiua probari videtur hoc ipso, quòd testes dicti sui rationem semper reddere tenentur, per text. *in l. sola 4 ubi* Gloss. Bart. Bald. Alberic. Salic. Cyn. Sichard. & alii C. *de testibus.* Confert. *text. in c. cum causam. Extr. d. t. Nouell. 1. cap. 2. §. 1. vers. si verò absunt, & Novell. 90. de testib. cap. 2. & licet.* Atque hæc conclusio regulam constituit, ut docet Farinac. *de testib. lib. 3. quæst. 70. num. 1. & 3.* eaque maximè procedit in criminalibus, per tradita Mascardi *de probat. vol. 3. conclus. 1369. num. 47.* ubi num. seq. specialiter de adulterio scribit, quòd testes super adulterio deponentes, debeant etiam non interrogati rationem reddere dicti sui, idem docet post alios *vol. 1. conclus. 65. n. 1.*

112 Aiens verò opinio firmamentum habere existimatur *ex d. c. præterea 27. Extr. de testib.* Eaque & hâc probari videtur ratione, quòd testis, quando deponit de his, quæ sensu corporis percipiuntur, rectè testificetur, & testimonium eius recipiatur, quàmvis non reddat dicti sui rationem *per text. in d. c. præterea. Extr. de testib.* & docet Gloss. *in d. l. sola, & ibi* Cyn. *numero 1.* Bart. *numero 13. & 14.* Castrens. *num. 6. C. de testib.* Mascard. *de probat. vol. 3. concl. 1369. numero 3. & sequent.* Petr. Gilken,

Gilken, *in l. testium 14. num. 6. C. de testib.* Farinac. *tract. de testib. quæst. 70. numero 92.* Confert arg. *l. ult. C. de precib. Imp. offer. & l. de pupillo 5. §. qui nunciat, ff. de oper. nov. nunc. & c. cum dilectus, Extr. de accusat.*

Hæc tamen opinio procedit tantùm, quando agitur de adulterio ciuiliter, ut arguit text. *in d. c. præterea*, ubi Bald. *Extr. de testib.* & sentiunt Dd. quos citat, & sequitur Mascard. *de probat. vol. 1. concl. 65. numero 9.* ut cum ad thori separationem, & dotis amissionem de adulterio agitur, *per c. literis, Extr. de præsumpt. & d. c. 4. Extr. de donat. int. vir & uxor.* Non autem locum habet conclusio hæc, cum de adulterio criminaliter disceptatur, ut antea docui. 113

Quid verò deferendum est testi, qui deponit, quòd per speculum viderit marem & fœminam adulterium patrare? Testis hic nihil probat, est enim ipsius testimonium duntaxat figurale, ac pro eo censendum, ac si testis imaginem adulterantium in pariete viderit depictam, proindè magis speculativa, quàm corporalis existimanda est, Bald. *in c. cum causam col. 3. Extr. de testib.* Ioann. Campeg. *tract. de testibus Reg. 385. vers. ult.* 114

consentit Mascard. *de probat.vol.1.conclus.65.
numero 6.*

Postremò qui testes aliâ in causâ criminali ad testificandum recipiuntur, vel à testimonio repelluntur, ijdem quoque in causâ adulterij vel admittendi, vel reijciendi sunt

# Caput V.

## De Pœnâ Adulterii.

Reliquum nunc est, ut de pœnâ adulterij agamus: Ea autem vel privata est vindicta in adulterij reum & ream Iure permissa, vel continetur separatione thori, & dotis amissione, ciuili actione propositâ, vel Iudicis sententiâ decernitur in adulterij reum & ream criminali judicio constituto.

Priuata adulterij vindicta in reum & ream permissa est patri & marito adulteræ Patri,

Patri filiæ adulteræ, quam ipse patriâ in potestate suâ habet, datur Ius occidendi adulterum ipsamque filiam in actu venereo simul deprehensos, *l. patri 20. ff. ad L. Iul. de adult.* nec refert naturalis sit pater, vel adoptivus, *l. nec in ea 22. in princ. ff. d. t.* Quòd si pater adulteræ sit filiusfamil. Iure non occidit adulterum, neque auus si non habeat in potestate filiam adulteram, *d. l. patri datur 20. & l. seq. ff. eod. tit.*

3 Ratio omnis huius Iuris est ipsa patria potestas, cùm ergò filiusfam. pater adulteræ ipsemet in potestate sit patris sui, proindeq; alium in suâ potestate habere nequeat, consequens ei est, quòd filiusfam. pater jus non habeat occidendi adulterum & filiam, in ipso veneris actu deprehensos, *l. si evenit 21. ff. d. t.*

4 Neque etiam pater Iure occidit filiam viduam, *l. nec in ea, 22. § 1. ff. d. t.* Legitur quidem ibi, in accusationem viduæ filiæ non habet pater Ius præcipuum, sed est legendum ibi, in OCCISIONEM vel OCCISIONE viduæ filiæ, Tùm quia duæ præcedentes leges, & lex sequens, ut & principium ac §, 1. & seqq. §§. legis illius sunt de occisione filiæ, non de accusatione. Tùm q[uod] Græci quoq; Interpretes Basilicorũ legunt in OCCISIONE, ut ostendit

Cuiac, *lib. 6. obs. cap. 14. & in comment in lib. 1. Papiniani ICti, de adulterijs, pag. 668. in explicat. 4. l. nec in ea 22. ff. ad L. Iul. de adult.* Tùm etiam quia adulterium non committitur in viduâ, sed stuprum, *l. inter 6. §. lex stuprum. ff. ad L. Iul. de adult.* Lex autem Iulia de adulteris permittit patri adulteræ adhuc nuptæ occidere adulterum, cum filiâ in rebus venereis deprehensum, non etiam permittit necare stupratorem filiæ viduæ, aut virginis in stupro deprehensum, Cuiac. *libr. 6. obs. cap. 14. in fin.* Ferrum, ait, patri Lex Iulia tradit in nuptam, non in viduam, aut virginem, & *in comment. in libr. 1. Papiniani de adulterijs pag. 668. col. 2.* idem Cuiac. Lex ait, Iulia ferrum dedit patri, adulterij tantùm ulciscendi causâ, non stupri. Tùm postremò quia verba Papiniani ICti, PATER IVS PRÆCIPVVM NON HABET, sunt relatiua, & respectum habent ad alium, cui aliâs pater præferri potest,

Ad maritum autem referri non possunt quippe cùm vidua non habeat maritum, qui in accusatione præferatur, aut similis sit patri. Neque etiam possunt referri ad extraneum, sicquidem illi in accusatione adulterij pater præferatur, *l. 4. §. 1. ff. ad L. Iul. de adult. & l. quamvis 30. C. d. t.* Sicuti quâvis in accusatione criminis propinqui extraneis præferuntur,

runtur, *l. si plures 16. ff. de accus. l. 2. & l. 3. §. 1. ff. de popul. action. junct. d. l. 4 § 1. ff. ad L. Iul. de adult. & d. l. 30. C. eod. tit.* Ineptum igitur esset Papiniani ICti verba intelligere de accusatione vel stupri in viduâ commissi, vel adulterij viuo marito patrati; quocirca pro ACCVSATIONEM legendum est OCCISIONEM.

7 Non potest autem pater adulterum filiæ impunè occidere, nisi certis conditionibus, quarum una est, si in ipsâ turpitudine, siue in ipsis rebus venereis cum filiâ deprehenderit adulterum *l. quod ait 23. in princ. ff. ad L. Iul. de adult.* Altera, si in continenti, & uno ictu, unoque impetu ipsum adulterum, & filiam adulteram occiderit, æquali irâ adversus utrumque sumptâ, quòd si hodie occidat adulterum, & pòst diem interficiat filiam, non habebit factum hoc impunitum pater, *d. l. quod ait 23. §. ult. ff. d. t.* leuius tamen & remissius puniendus erit, *l. Gracchus 4. C. eod. tit.* confert. *text. in l. si adulterium 38. §. Imperator ff. h. t.*

8 Si quoque pater adulterum filiæ occidat, filiam verò adulteram dimittat vel contra, puniendus erit Legis Corneliæ Pœnâ, Lex enim parem in eos, qui deprehensi sunt indignationem exigit & seueritatem requirit, *l. nihil interest 32. in princ. ff. eod. tit.* Aut Er-

gò occidendus uterque, aut uterque dimittendus, ut & Cuiac. scribit *lib. 6. obs. cap. 15.* nihil tamen interest, filiam adulteram prius occidat pater, an adulterum, dum utrumq;
9 occidat, *d. l. nihil. § 2. in princ. ff. d. tit.* Quòd si altero occiso, alter solùm vulneratus fuerit, verbis quidem legis non liberatur pater, sed Divus Marcus & Cōmodus *rescripserunt*, impunitatem ei concedi, quia licet interempto adultero, mulier supervixerit, magis facto, quàm voluntate patris servata est, *d. l. nihil interest, ff. d. t.*

10 Si filia, dum occiditur adulter, profugit, & interpositis horis adprehensa est, & occisa à patre qui persequebatur, in continenti videbitur occidisse, proindeque à pœnâ liber erit, *d. l. quod ait 23. § ult. ff. eod. tit.*

11 Si quoque absque dolo aut culpâ patris alter aufugerit, impunitus erit pater, Quòd si pater affectavit, ut fugeret alter Lege Corneliâ reus erit, quasi non Iure alterum occiderit, *d. l. quod ait 23. § ult. ff. d. t.* Idem dicendum si pater fugientem leviter tantùm vulneraverit. Quid enim si vulneraverit ne eum occideret, & ut alterum impunè occideret? Hi sæpè colores arcessuntur excusandi reatus causâ.

12 Et quia vulnerat quis aliâs ut occidat, aliâs

aliàs ut non occidat *l. pen. ff. ad L. Cornel. de sicar.* ex vulnerum quantitate colligi potest, quo animo vulnerauerit, si grauia sint vulnera, quæ infixit pater, verisimile est, voluisse patrem occidere etiam filiam, *d. l. nihil 32. in princ. vers. quia licet, ff. ad L. Iul. de adult.* Cujac. *d. cap. 15. in fin.*

13 Tertia conditio est, si pater adulterum, & filiam adulteram deprehenderit & occiderit vel in suâ, vel in generi domo, hoc est domicilio, siue habitatione, *d. l. nec ea 22. §. ius occidendi, ff. d. t.*

14 Domicilium aliud est, alia domus, huius appellatione proprietas significatur, illius habitatio quæuis, *l. lex Cornelia 5. §. domum 2. ff. de iniur.* Vnde Plautus in milite glorioso, ostium, inquit, hoc mihi est domiciliũ, Athenis domus, in Lege autem Iuliâ de adulteriis domus pro domicilio & quâlibet habitatione accipitur, *d. l. nec ea 22. §. 2. ff. ad L. Iul. de adult.* Cujac. *in comment. in lib. 1. Papiniani de adulteriis, in fin. libri pag. 608.*

15 Ratio autem cur pater adulterum & filiam adulteram impunè occidat, in suo vel generi domicilio, non etiam alibi, hæc redditur à ICto, quòd maiorem iniuriâ putauerit legislator, quòd in domum patris, aut mariti ausa fuerit filia adulterũ inducere, & hic

ipsam

ipſam ibidem adulterio polluere, *d. l. quod ait 23. §. quare non ubicunque 2. ff. eod. tit.*

16 Quod ſi pater aliâ in domo, quàm in quâ ipſe aut gener habitat, deprehenderit filiam in adulterio, licitè eam occidere non poteſt *d. l. quod ait 23. §. ſed ſi pater 3. ff. d. t.*

17 Non autem diſtinguitur hîc, adulter honeſtæ vel vilis ſit conditionis perſona, *d. l. nec ea 22. §. ult. ff. d. t.* ubi ICtus Papinianus, patri ait, mulierem & omnem adulterum occidere remiſſum eſt, additâ ratione hâc, quia pietas paterni nominis conſilium pro liberis capit: Quibus verbis ICtus ſignificare vult, quòd lex arbitrata ſit, vix, ac perrarò eventurum, ut pater occidendæ filiæ triſtiſſimum miniſterium obiére, & non potius adultero parcere velit, ut filiæ etiam parcat, Cuiac. *in comment. in lib. 1. Papiniani de adult. In explicat. d. l. nec ea 22. circa fin. ff. ad L. Iul. de adulter.*

18 Marito etiam adulteræ permiſſum eſt jus occidēdi adulterum in uxore deprehenſum, *l. marito quoque 24. in princ. ff. d. t.* Nec refert quicquam maritus ſit paterfam. aut filiusfam. *d. l. marito §. cæterum, ff. eod. tit.* Non tamen quemlibet adulterum occidere poteſt maritus, ſed eum, qui homo vilis conditionis eſt, qualis eſt leno, & ludio, qui ar-

tem

tem ludicram ante fecit, qui item in scenam saltandi, cantandivé causâ prodiit, judiciovè publico damnatus, neque in integrum restitutus erit; quivè libertus eius mariti, uxorisuè patris, matris, filij, filiæ, utrius eorum fuerit, *d. l. marito 24. in princ. vers. qui leno fuerit. ff. d. tit.* Id quod significatur etiam ab Vlp. ICto *in l. capite, 25. in princ.* ibi, quem non liceat occidere. *ff. eod. tit.*

19 Non potest etiam maritus ubique deprehensum adulterum vxoris necare, sed deprehensum domi suæ, non etiam soceri, *d. l. marito 24. in princ. ff. d. t.* Et Iulius Paulus *lib. 2. receptar. sentent. Tit. 26. de adulteriis*, ubi lectio viciosa reperitur; Inventam, ait textus, in adulterio uxorem, maritus ita demùm occidere potest, si adulterum domi suæ deprehendat, quem text. Guiac. ibid. ita corrigit: Inuentâ in adulterio uxore, maritus ita demùm adulterum occidere potest, si eum domi suæ deprehenderit.

20 Pater ergò in occidendo filiæ suæ adultero Ius habet præcipuum, & singulare, ut qui etiam honestiori positum loco adulterum occidere potest, veluti Magistratum *d. l. marito 24. §. ult. ff. eod. tit.* ut & nobilem, Iuris Doctorem, aut Licentiatum, per text. generalem *d. l. nec in ea 22. §. ult. & d. l. marito 24. in princ.*

*prin.* ibi, sed non quemlibet, ut patri, *ff. d. t.* Et potest pater non solùm suo in domicilio deprehensum, sed etiam deprehensum in habitatione generi sui impunè occidere, ut antea ostendi.

21 Ratio differentiæ inter patrem & maritum hæc est, quòd mariti furor, ob veterem matrimonij consuetudinem, propterq; cubilis puderem, & propter spem liberorum expugnatam, tantus est, ut in occidendo adultero & adulterâ sibi temperare nequeat, proindeque impetus ipsius refrenandus fuit, & modus ipsi aliquis præscribendus, id quod indicat text. *in l. si adulterium 38. §. Imperator Marcus, ff. ad Leg. Iul. de adult.* Patri verò, qui non tanto concitatur furore in adulterum propter filiam proprium sanguinem, lex non aliter permittit adulterum occidere, quàm si & filiam occiderit in continenti & quasi vno ictu, uno veru: quia rarò eventurum putavit lex, ut pater occidendæ filiæ tristissimum obiecit ministerium, cùm plerumque patris pietas pro liberis consilium capiat, & adultero parcat, ut parcat filiæ, *d. l. nec in ea 22. §. ult. ff. d. tit.* Cuiac. *in comment. in lib. 1. Papin. de adulter. circa fin. & in comment. in libr. 36. quæstion. Papin. in explicat. d. l. si adulterium 38. §. Imperator Marcus, ff. eod. tit.*

22 Quòd si maritus non infamem personam

nam in adulterio uxoris deprehensam, sed aliam impetu doloris occiderit, punitur quidem, sed leuius, *d. l. Gracchus 4. C.A.t.* Cuiac. *in comment. in d. lib. 36. quæstionum Papin. pag. 507. col. 1.*

Etsi autem pater adulterum filiæ in ipsâ turpitudine deprehensum occidere possit impunè, maritus tamen non omninò impunè uxorem adulteram necare potest, legis quidem Corneliæ de Sicariis pœnam ordinariam, vel legis Pompeiæ de parricidiis supplicium non excipiet, cum difficillimũ sit justum dolorem temperare, *l. 3. §. si tamen maritus, ff. d. Senatuscons. Silan.* ubi ICtus Vlpian. si, ait, maritus in adulterio (uxorem) occidat, ignoscitur ei, ignoscitur, ait ICtus, quod intellige, non præcisè, sed quoad ordinariam pœnam. Cùm enim plus fecerit maritus, quàm vindictæ modus ratioq; postulat, puniri quidem debet, sed leuius, & excusari à pœnâ majori, *l. si adulterium. 38. §. Imperator Marcus, ff. ad L. iul. de adult.* ubi, ICtus Papinianus ex Diui Pij rescripto huic marito pœnam statuit opus publicum perpetuum, si humilis sit loci, putà plebei ordinis; vel in insulam relegatio, si honestior sit, veluti positus in dignitate aliquâ. Idem ex eiusdem Principis rescripto docet Marcian. ICtus *in l. 1. §. ult. ff. ad L. Cornel. de sicar.* In eũ, ait, 27

qui

qui uxorem deprehensam in adulterio occidit, Divus Pius leviorem pœnam irrogandam esse scripsit, & humiliore loco positum in exilium perpetuum dari jussit: in aliquâ dignitate positum ad tempus relegari. Quod priori loco publicum appellatur opus, id posteriori hoc loco exilium dicitur perpetuum, quo deportatio significatur. *Est* enim par pœna deportationis & damnationis in

24 opus perpetuum, *l. 1. C. de pœn.* Hi qui in opus perpetuum, id est publicum damnantur, similes sunt deportatis. Nam uterque mediam patitur capitis deminutionem; uterque civitatem amittit, & peregrinus fit. Nihil ergò refert, damnetur in opus publicum, aut in exilium perpetuum. Adhæc quòd loco priori simpliciter dicitur in Insulam relegari, id loco posteriori dicitur ad tempus relegari; Non ergò ut dixi ordinariâ plectitur pœnâ legis Corneliæ, vel legis Pompeiæ maritus, qui adulteram uxorem suam in adulterio deprehensam occidit. Malè autem eam in sententiam adducitur *l. Gracchus 4. C. ad L. Iul. de adult.* non enim loquitur de adulterâ occisâ, sed de adultero, in quem plus aliquantò licuit marito, quàm in uxorem.

Cæterùm

25 Cæterùm olim licuisse marito uxorem in adulterio deprehensam omninò impunè occidere, patet ex Gellio lib. 10. ubi refert: quòd in adulterio deprehēsam uxorem maritus sine judicio necare impunè possit. Cassiodor. quoq; lib. 1. variarum, pro amore, inquit, pudicitię porrigere ferrum maritis, non est leges calcare, sed cōdere. Gellium & Cassiodorum hanc in sententiā citat quoq; Cujac. *in tit. 26. de adulteriis, lib. 2. sentent. Pauli & in cōment. in libr. 36. quæst. Papin. pag. 207.* Quo utroq; loco scribit, quòd Iure Romanorū impunè occidatur uxor in adulterio deprehensa, Et locò posteriori autumat, ꝙ hoc ipsum hodie etiam liceat marito ex Nouellâ Majoram, modò simul cum adultero ictu uno, & æquali irâ adversùs utrumque sumptâ necet etiā uxorem, proindeq; nullā hodie differētiam esse inter patrē & maritum, cùm utriq; jus sit occidere adulteros uno ictu, unoq; impetu, Et hoc Iure, ait, nos etiā hodie utimur. Sed forte intelligendus est Cuiac. de Gallorū Iure, Et quòd in Italiâ etiā usitatum sit, ut deprehensos adulterum & uxorē maritus simul jugulare impunè possit, testatur Wesemb. *in paratit. ff. tit. ad L. Iul. de adult. n. 19.*

26 Est quoq; privata vindicta, & necandi impunè potestas marito in eum quasi adulterum permissa, cui antea suspecto, ter in scri-

ptis denunciauit sub præsentiâ trium testium, postea verò ipsum cum uxore vel suâ, vel uxoris, vel adulteri in domo, aut popinis, vel in suburbanis deprehendit, *Novell. 117. c. 15 & Auth. si quis ei C. ad L. Iul. de adult.*

27 Est & alia patri, itemq; marito permissa adulterij vindicta priuata, ut quòd adulterum in ipsâ adulterij turpitudine cùm filiâ, aut uxore deprehensum, contumeliâ afficere possunt, *d. l. nec in ea, 22. § sed qui occidere 3. ff. ad L. Iul. de adult.* ubi ICtus Papinian. Qui, ait, occidere potest adulterum, multò magis contumeliâ poterit Iure afficere: qui textus, cùm generalis sit, exaudiri potest non solùm de verbali, sed & reali contumeliâ, siue injuriâ, ut quæ infertur resectis genitalib. adulteri mēbris, resectis item naribus, crurib. aliisque similib. corporis membris, Cujac. *in comment. in lib. 1. Papiniani de adulterijs pag. 669. in explicatione d. l. nec in ea 22. ff. d. t.*

28 Et tantum de privatâ adulterij vindictâ: sequitur de thori siue matrimonij separatione, & dotis, itemq; donationis propter nuptias amissione.

29 Potest maritus contra uxorem adulteram ciuili actione experiri ad thori, siue matrimonij separationem, *c. tua. 5. Extr. de procurat. c. significasti, & c. ex literis 5. ff. de divortijs c. literis 12. Extr. de præsumpt. c. 4. Extr. de donat. int.*

*int. vir & uxor.* Similiter & uxor contra maritum adulterum agere poteſt ad thori ſeparationem, ſiue matrimonii ſolutionem, *can. in coniugio, & can. ſeq. verſ. ſimiliter 32. quæſt. 1. c. quæſiuit 2. Extr. de diuort. l. conſenſu 8. §. ſi quâ igitur. C. de repud.* Quæ conjugum actio coram Iudice Eccleſiaſtico proponenda eſt, ut ſuprà oſtendi, cap. 3.

Thori ſeparationem & matrimonij ſolutionẽ ſequitur dotis, itemq; donationis propter nuptias amiſſio, & repetitio, *c. plerumq; 4. Extr. de donat. int. vir & uxor. d. l. conſenſu 8. §. virum etiam 5. & l. iubemus 11. §. 1. C. de repud. & Nouell. 117. cap. 8. quia verò, & Auth. ſed novo Iure, C. de repud. l. cũ mulier 47. ff. ſolut. matrim.* Quibus ex locis intelligitur, quòd uxor adultera dotem, & donationẽ propter nuptias amittat, eaq; marito aſſignanda ſit: quodq; maritus adulter ad dotis reſtitutionem cogatur, & donatione propter nuptias priuetur, & inſuper, ſi liberi non adſint, tantum accipit maritus ex aliâ quoq; uxoris adulteræ ſubſtantiâ, quantum dotis tertia pars eſſe cognoſcitur, *d. Novell. 117. cap. 8. verſ. ſi de adulterio.* 30

Iure Württembergico nullâ dote, vel donatione propter nuptias conſtitutâ, coniux ex coniugis adulteri vel adulteræ ſubſtantiâ quartam bonorum partẽ capit. Fürſtl. Würt. new Landtrecht *part 2. tit. 32.* 32

Hæc autem pœnâ amiſſionis dotis, & donationis propter nuptias infligitur adulteris non ſolùm quando plenè probatum eſt adulterium, ſed &cum ex veriſimilibus indiciis quibusdam de eo conſtat; ut ſuprâ capite præcedenti planum feçi, & ſentiunt, quos citat, & ſequitur Petr. Barboſa *in l. 2. ff. ſolut. matrim. part. 1. in princ. num. 61.*

32

Bartolus quidem *in l. miles 11. §. ſocer. in fin. ff. ad L. Iul. de adult.* & eum ſequutus Alex. *in l. rei judicatæ, 15. n. 33. ff. ſolut. matrim.* Concludunt, quòd maritus, quando agit de adulterio civiliter ad thori ſeparationem, non lucretur dotem uxoris adulteræ, ſed quandò criminaliter agit. Verùm Iuris authoritas contrarium ſtatuit, *d. c. 4. Extr. de donat. int. vir. & uxor.* & Bartoli opinionem improbant Roman. *in l. Lucius 38. n. 23. ff. ſolut. matrim.* Alexãd. *in l. cum mulier, num. ult. ff. d. t. & conſ. 189. num. 8 lib. 6.* Menoch. *conſ. 31. num. 31. lib. 1.* Iul. Clar. *in §. Adulterium num. 13. in fin.*

33

Quæritur de bonis adulteræ paraphernalibus, an his quoque priuetur uxor adultera, eaq; marito cedant? Vxor triplicis ſpeciei bona habere poteſt, dotalia, paraphernalia, & receptitia. Dotalia, quę in dotem attulit marito. Paraphernalia quæ ultra dotem attulit marito, eiusque adminiſtrationi conceſſit expreſsè vel tacitè. Receptitia, quę marito ſuo non tradidit uxor, *l. hac lege 8. & l. ſi.*

34

*mulier 11. C. de pact. conuent.* Mynſing. *cent. 2. obſ. 53.* De hoc triplici bonorum genere latius differunt Ang. *in §. idem reſcripſerunt, n. 2. Inſtit. de excuſat. tut.* Chaſſenæ. *in conſuet. Burgund. rubr. 4. §. 5. ſuper verb. Et droiz poſſeſſories, n. 10. & ſeqq.* Guido Papæ *deciſ. 248.* Alex. *conſ. 144. col. 2. & 3. vol. 5.* Socin. *conſ. 82. n 8. vol. 4* Dec. *conſ. 521. num. 1. & ſeqq.* Ruin. *conſ. 222. in princ. vol. 1.*

Quòd a. uxor adultera perdat quoq; paraphernalia bona, ſentit Gloſſ. *in d. c. plerumq; 4. Extr. de donat. int. vir. & vx.* Gloſſam ſequuntur Dd. cõmuniter, Roman. *ſing. 315. propter adulterium* Petr. Gerard. de Petrâ Sanctâ *ſing. 48. Scias.* Iaſon. *in Rubr. Cod. de iud. n. 3. & in l. ſideicommiſſum 27. n. 3. C. de fideicomm.* Hipol. de Marſil. *in l. patre vel marito 6. n. 13. ff. de quaſt.* Felin. *in c. Paſtoralis, col. 3. in med. verſ. mulier impudica, Extr. de iud.* Auguſtin. Arimin. *in addit ad Ang. tract. de maleficijs, in verb. che me hai adulterato la mia dona, n. 27.* Damhoud. *in pract. crim. cap. 80. n. 24.* Curt. Iun. *tract. de feud. part. 4. princip. poſt n. 20. ſub ſecundâ principali cauſâ priuationis.* Nicol. Boer. *deciſ. 338.* Couarr. *lib. 4. decretal. part. 2. cap. 7. gl. 6. n. 2.* Iulius Clar. *lib. 5. ſentent. §. adulterium, n. 35. col. antepen. verſ. adde quod,* Ludovic. de Peguera *deciſ 93. n. 2.* & alij quos citat Petr. Barboſ. *in d. l. 2. ff. ſolut. matrim. part. 1. in princ. n. 54.* Atq; huic aienti opinio- 35

ρni firmamentum adiungere videtur text. *d. c. plerumq; Extr. de donat. int. vir & uxor. & c. ex parte 10. Extr. de consuetud.* Priori loco mētioni dotis proximè subjungitur appellatio dotalitij, quâ voce paraphernalia uxoris bona significari sentit Glossa, & eā sequuti Dd. antea citati. Loco posteriori Pōtifex Honorius III. reprehēdit ac vetat observari prauā consuetudinē illam, ex quâ uxor fide coniugij ꝑ adulterium violatâ, nihilominꝰ omnium bonorum viri medietatem impudenter exigebat, cùm potiꝰ omnib. illis bonis privāda sit.

36 Negantem verò sententiā amplectuntur Card. Zabarella, Ant. de Butrio, Panorm. & Prępos. *in d. c. plerūq;, Extr. de don. int. vir. & uxor.* Carol. Molinæ. *in Apostill. ad Gloss. Philip. Decij in c. Pastoralis, n. 7. Extr. de iudic.* Guil. Benedict. *in repetit. c. Raynut. in verb.* Qui cum alia matrimonium cōtraxit, *n. 201.* Roman. *in d. l. Lucius Titius 38. ff. solut. matrim.* Guilhelm. Mayner. *in l. in ambiguis 85. n. 205. ff. de Reg Iur.* Barbosa *in d. l. 2. in princ. ff. solut. matrim. part. 1. n. 55.* Georg. Euerhard. *in consf. 37. n. 26. & seqq. vol. 1.*

37 Hanc opinionē ꝓbant text. *in d. c. plerumq; Extr. de donat. inter vir. & uxor. in Novell. 117. c. 8. Quia verò plurimas, §. necessariū, §. si quando verò, in l. cū mulier, ff. solut. matrim. & in l. cōsensu 8. C de repud.* Quib. locis de amissione dotis & donationis ꝓpter nuptias agitur, at de amissione paraphernalium nihil dicitur, unde verisimi-

le, quòd

le, quòd Iuris authores idẽ de paraphernalib. disponere noluerint, per text. *in c. inter corporali, post med. vers. unde, Extr. de translat. Episcopi. l. si servũ 70. §. nõ dixit Prator. ff. de adquir. vel amitt. hered. c. ad audientiã. Extr. de decimis l. unic. §. ubi autẽ in fin. C. de caduc. tollend.* Ioann. de Anania *cons. 22. n. 2.* Socin. Iun. *cons. 59. n. 2. vol. 2.* Tiraquel. *in l. si unquam 8. vers. libertus, n. 3. & seq. C. de revoc. donat.*

38 Confert eòdẽ, quòd vxor adultera ꝑpter adulterium ꝑter dotẽ & donationẽ propter nuptias, si non habeat liberos, ex aliis etiam ꝓpriis bonis suis amittit quãtum dotis tertia pars esse cognoscitur, unde cõstat, quòd paraphernalia bona, quæ uxoris propria sunt, non cedant marito, nisi pro parte, & quidem solùm casu jam dicto.

39 Accedit tertiò in confirmationẽ negantis ꝓnunciati huius & illud, quòd argumentum a deficiente lege in Iure nostro firmissimum est, *Novell. 18. de triẽt. & semis. cap. 5. cõsideramus a. l. illam meritò 19.* ibi, eò ꝙ nulla constitutio super huiusmodi cõstitutione posita esset, *C. de collat. & l. ab ea parte 5. ff. de probat.* Cùm igitur nusquam, & ne quidẽ in ipsis ordinariis materiæ huius sedib. idem de paraphernalibus bonis dispositum reperitur, quod de dote, & donatione propter nuptias cautum legimus, haud temerè asserendum, ꝙ maritus etiã paraphernalia uxoris adulteræ bona lucretur.

40 Adhæc pœna priuationis Iurium vel rerum nunquam habet locũ, nisi expresso Iure id caveatur, *c. is qui 18. in princ.* ibi cùm id non sit expressum in Iure, *Tit. de sentent. excõm. lib. 6. Novell. 2. de non eligendo secundò nubentes mulieres, cap. 3. cum igitur, verſ. nec qualibet eſt lex.* Gloſſ. *in c. fin. ubi* Panorm. & alij *Extr. de Iure patron.* Gloſſ. *fin. in c. cum vos, Extr. de off. ordin.* Georg. Euerhard. *conſ. 37. n. 27. vol. 1.* Cùm ergò in Iure non reperiatur expressum, quòd mulier propter adulterium ultra dotem perdat etiam paraphernalia bona, iniurium fuerit astruere illud.

41 Præterea cùm alia sit dotis & donationis ꝓpter nuptias ratio, alia itẽ rerum paraphernalium, ab illis ad hæc perperã fit illatio, *l. ult. verſ. ſeparatũ, ff. de calumniat. &* ex separatis nõ infertur de uno ad aliud, *l. Papinian. 20. verſ. q.d enim cõmune, ff. de minorib. l. naturaliter 12. §. nihil commune, ff. de adquir. vel amitt. poſſ. l. ſi maritus quondam. 10. in fin. C. de donat. int. vir & uxor.* Nicol. Everh. *in locis legalib. in loco, à ſeparatis, n. 1.*

42 Est a. maritus dotis dominus, *Inſtit. Quibus mod. alien. non licet in princ. l. in reb. 30. C. de Iure. dot. l. quãvis 75. in princ. ff. eod. tit.* Et plurib. textib. ostendi in cõment. *in l. contractus 23. ff. de Reg. Iur. c. 4. n. 103. & ſeq.* Maritus quoq; in donatione ꝓpter nuptias Ius quoddam retinet, ut enim soluto matrimonio dos ad uxorem

redit,

redit, sic & donatio propter nuptias dirępto matrimonio redit pleno Iure ad maritũ *c. ult. Extr. de donat. int. vir. & ux.* Hartm. Pistor. *libr. 1 quæst. Iur. quæst. 14. n. 34.* & Ioann. Schneidw. *in §. est & aliud, n. 6. Instit. de donat.* Bona verò paraphernalia ꝓprietatis Iure uxoris sunt, non mariti, q̃ tantùm ipsorũ administrator est uxoris, ut antea dictũ, & in his bonis marit⁹ invitâ uxore non habet administrationẽ, *l. hac lege 8. C. de pact. conuent.* Dec. *in c. pastoralis n. 7. Extr. de iudic.* Non ergò procedit argumentũ à dote & donatione ꝓpter nuptias ad ipsa paraphernalia bona, maximè cùm rerũ paraphernalium fructus nõ adq̃rantur viro, nisi quatenus cõsumpsit, Bald. *in d. c. ex parte, n. 9. Extr. de consuetud.* Licet ergò uxor propter adulterium amittat dotẽ, non ideò tamen amittit etiam paraphernalia, cùm ex separatis & diuersis nihil inferatur. 43 44

Accedit huc sextò & illud, quòd pœnalis constitutio, qualis est, quâ uxor adultera ob crimen adulterij dotem & donationem propter nuptias amittit, restringi, non extendi debet, *c. statutũ, tit. de elect. in 6. c. odia, & c. in pœnis, Tit. de Reg. Iur. in 6. l. cum quidam 19. ff. de lib. & posth. l. ult. C. de interdict. matrim. int. pupill. & tut. seu curatorem.* 45

Postremò opinio contraria licet fundata videatur authoritate Iuris Canonici *in d. c.* 46

*plerumque 4. Extr. de donat. inter vir & uxor. & d. c. ex parte 10. Extr. de consuetud.* nihil tamen roboris capit ex locis illis. Quod enim attinet *d. c. 4. Extr. de don. int. vir & uxor.* voce DOTALITIUM non significantur ibi paraphernalia uxoris bona, sed dictio illa denotat solùm donationē propter nuptias; Cùm enim ibi jungantur dos & dotalitium, verisimile est DOTALITII nominē significari donationem propter nuptias, eò quòd respectu dotis, & in eius securitatem donatio propter nuptias cōfertur, *l. ult. §. sancimus. C. de donat. ante nupt. Novell. 119. in princ.* unde propter nuptias donatio dicitur compensatio & pignus dotis. Henning. Gœden *cons. de dote 6. num. 7. pag. 551 & cons. de dote 99. n. 30. pag. 548.* Item vocatur contrados Molinæ. *cons. 52. n. 31.* Germanicè Ein gegen Vermachung/ gegen Vermächtnuß/ gegen Gaab/ Widerlegung/ Henning. Gœdend. *cons. 99.* Oldendorp. *in lexico.* Simon Pistoris *cons. 20. num. 7. & 8.* Cothman. *respons. 50. num 31. & seq. vol. 1.*

47 Æqualitas item constituenda & servanda est inter dotem & donationem propter nuptias, *Novell. 97. cap. 1. § est & aliud Inst. de donat. Auth. æqualitas, ubi Gloss. & Dd. C. de pact. convent.* Hartman. Pistor. *quæst. 14. numero 5. & seqq. & num. 23. part. 1.* Pacta quoque de lucrandâ do-

te ex-

te extendenda sunt ad donationem propter nuptias,& è contrario, *l. cùm multa 20. §. simplices enim donationes, vers. sin autem donatio. C. de donat. ante nupt.* Hartman. Pistor. *d. quæst. 14 num. 9. part. 1.*

48 Adhæc vox DOTALITIVM *in d. c. 4. Extr. de donat. int. vir. & uxor.* sonat aliquid dotale, vel quasi dotale, nequaquam verò res paraphernales, Nominis autem ratio argumentum præstat ipsi rei conueniens, *c. cum secundum,* ibi, ut ipsa nominis ratio persuadet, *Extr. de prabendis, c. per venerabilem 13. §. sanè cum ibi,* ex vi vocabuli comprobatur, *Extr. qui filij sint legit. l. 4.* ibi si nomine eximuntur etiam fructu carebunt. *C. de feriis, & l. defensores 5.* ibi, nominis sui tantùm fungantur officio *C. de defensoribus Ciuit.*

49 Prætereà lex vel canon in dubio commodã interpretationẽ capit ex ipsâ Rubricâ, siue Titulo, Euerhard. *in Topic. legal. in loco à Rubr. n. 6.* Titulus a. sub quo ponitur *dict. c. plerumq;*, est duplex, nõ triplex, est de donationib. inter virum & uxorem, est item de dote, non etiam de paraphernalibus bonis. Vocula igitur DOTALITIVM *in d. c. plerumq;* explicanda non est de paraphernis, sed de donatione propter nuptias, maximè cùm DOTALITII nomen alibi etiam ut *in c. ex parte 15. Extr. de for. cõpetent.* significet nõ paraphernalia

nalia, sed donationem quandam propter nuptias, Gloss. *ibid. in verb.* Dotalitij *in princ.* & ibid. Panorm. *col. 2. vers. venio ad apparatum.* Ioann. de Imola *n. 11.* Andr. Barbat. *col. 9. vers. venio ad Glossam.* Marian. Socin. *ante n. 3.* Innocent. *in princ.* quos omnes sequitur Georg. Euerhard. *d. cons. 37. num. 21. vol. 1.*

50 Quod verò attinet textum *in d. c. ex parte, Extr. de consuetud.* notatur eò solum praua cõsuetudo, ex quâ mulier adultera viri bona pro parte lucrari voluit, non obstante adulterio à se commisso, aliud a. est non capere lucrum ex bonis viri, & aliud res suas proprias amittere, *iuxt. l. ult. circa fin. C. de Codicill. l. aßiduis 12. in fin. C. qui pot. in pign. hab.* Gloss. quoque textum *in d. c. ex parte in verb.* Bonis non interpretatur de uxoris adulteræ paraphernis, sed de viri propriis bonis, Mulier, ait, adultera non modò quicquam non debet consequi de bonis viri, verùm etiam dotem suam propter adulterium perdere. Et potest ex eo loco argumentum à maiori tale extrui: Si propter adulterium mulier perdit propriã dotem: multò minus ex bonis viri aliquid lucrari debet. In dote enim certat mulier de damno euitando; sed in petendo aliquid ex viri bonis, de lucro captando certat, Gloss. *in l. 3. C. de Iuris & facti ignor.* Fauorabilius autem

tem eſt, damnum euitare, quàm lucrum non facere, *l. ult. §. illud, C. de codicill.* Ripa *in l. 3. ff. de damno infecto.* Similia argumenta proponit Ioann. Cephal. *conſ. 504. n. 16. 18. & 23. lib. 4.*

51 Quod ad Gloſſæ & communem pertinet opinionem quâ nititur cõtraria opinio, licet ſum̃a Gloſſæ authoritas ſit, Iacob. Butrigàr. *in l. 1. C. qui pro ſuâ Iurid.* Bald. *in l. cum hereditas 9. in fin. C. depoſiti.* Guido Papa *ſingul. 291. & deciſ. 134.* Alexand. *conſ. 147. col. 2. vol. 5.* Socin. *conſ. 80. n. 4. vol. 1.* Ant. Corſet. *ad fin. Repertorij ſui, ſub Rubric. de authoritate Gloſſæ:* quamuis item in conſulendo & judicando recedendum nõ ſit à cõmuni opinione, juxta *l. 1. ff. de offic. quæſtor. c. ne inuitaris, ubi Canoniſtæ Extr. de conſtit.* & tradunt Dd. *in c. 1. Extr. d. t. & in l. 1. ff. de reb. cred.* cùm illud firmius ac magis digeſtum videatur, quod plurimorum judicio cõfirmatur, *can. ſi tranſitus, 69. diſtinct. c. licet, Extr. de elect. & electi poteſt. c. prudentiã Extr. de offic. & poteſt. iudic. deleg. c. nouimus, Extr. de verb. ſign.* & cõmunis opinio vera præſumatur, Henning. Gœden *conſ. ult. n. 254.* Neuizan. *in ſyluâ nupt. lib. 5.* proindeq; Iudex, qui contra com̃unem iudicat opinionem, litem faciat ſuam, Bart. Bald. & alij *in l. ult. C. de pœnâ iud. qui male iud.* Henning. Gœden *d. conſ. ult. n. 255.* Thom. Ferratus *in caut. 31.* Quia tamẽ Iuris authoritati, quâ munita eſt negata con-

cluſio,

clusio, meritò cedit unica illa Glossa, cedit etiam meritò communis Doctorum opinio, omni ratione vacuâ, imò Iuri contraria, ut

52 suprà ostendi. Et quia teste Iustiniano Imp: non ex authorum multitudine, ꝙ melius, & æquius est, judicari debeat; si quidem unius sæpè sententia & multos & maiores aliquâ in parte superare possit, *l.1.§.sed neq; ex multitudine.C.de iur.vet.enucl.* Iure præferenda est negata opinio: maximè cùm Glossa, ex quâ nata est communis illa opinio nihil alleget, proindeq; ei credendum non sit, *per text.in Nouell.18.de trient.& semiss. cap. 5. consideremus,* ibi, sed quia non hoc cum lege agimus, erubescimus, *l.illã 19.*ibi, eò ꝙ nulla constitutio, *C. de collat.* Et certè comuni opinioni inhærendum non est, quando constat, ei fundamẽtum positum esse nullum, aut infirmum; *can. ego solis, distinct. 9.* Et quòd opinio communis, quæ Iure non probatur, licitè possit sperni, sentit quoq; Ernest. Cothman. *resp.r.*

53 *uum.566. vol.1.* Atque hæc sententia eo magis probanda, quòd opiniones communes sæpenumerò non aliunde nascuntur, quàm quòd unus simpliciter refert sententiam alterius, atque ita velut anseres quandò aquatum eunt, ac sicuti grues suo volatu alia aliã sequitur, ut scribunt Decius *cons. 481. in fin.*

Roland,

Roland. à Vall. *conf.100.n.50.* Menoch. *conf.51. n.54. lib.1.* Quò & illud pertinet, quòd communes opiniones authoritatis habent nihil, quando simpliciter sine lege, vel ratione per transennam, vel discursum absq; diligenti consideratione, nec pensatis hinc inde argumentis, perfunctoriè saltem collectæ sunt, Abbas *in c.bona 4.col.pen.Extr.de postul.Prælat.* Neuizan *in sylua nupt.lib.5.n. 29.* Alciat. *lib.4. Parerg.cap.17.& tract.de præsumpt. Reg. 1. præsumpt.51.* Iason. *conf.151.col.3.vol.4.* Socin.Iun. *conf.1.n.143.& conf.119.n. 30.vol.1.* Decian. *conf. 31.n. 120.vol. 1.* Georg.Euerhard. *conf.37.n.25 vol.1.*

Quod attinet pœnam adulterij, quæ judicis sententiâ criminali judicio constituto in reum & ream criminis huius decernitur, ignorandum non est, quòd pœnæ delictis conformes esse jubentur, *l. perspiciendum 11. in princ. ff. de pœn. c. Felicis 5. §. illud autem,* ibi, pœnam metiatur ex culpâ, ut secundùm quod excessus exegerit, vindicta procedat, *tit. de pœn. in 6. Novell. Leonis 105. vers. Ac sanè,* ibi, pro ratione delictorum pœnas etiam constituant. 54

Licet a. crimen adulterij non sit omnium grauissimum & maximum, ut supra docui 55

*cap.3.*

*cap. 3*. suâ tamen atrocitate, & gravitate plura alia facinora longè superat, ut ex eo quoq; patet, promptumq; est, quòd lex adulteros vocat nuptiarum sacrilegos. *l. quamvis 30. in*
56 *fin. C. ad L. Iul. de adult.* Quòd itē Thales Milesius, qui sapientissimus inter septem fuit, adulterium censerit esse periurio peius, sacræ etiam Literæ adulteros diris grauiter insectantur, Maledictus ait Iehoua Deuter. 17. qui dormit cum uxore populi sui, & dicat
57 omnis populus amen. Quin etiam adulterij scelus inter abominanda reponendum esse facinora, ex eo quoq; planum fit, quòd Iuri naturæ adversatur hoc scelus, cùm brutæ quoq; animantes illud magnoperè execrentur, & fastidiant, sicuti exempla testantur Elephantum, Ciconiarum, columbarum, turturum, aquilarum, leonum, aliorumq; animalium, de quib. ex Plinio, Æliano, & Aristotele eleganter scribunt Tiraquell. *tract. de legib. connub. leg. 13. gl. 1. n. 1. & seqq.* Menoch. *de arbitr. iud. quæst. lib. 2. cent. 5. casu 419. n. 5. 6. 7 & 8.* Mascard. *de probat. lib. 1. concl. 57. num. 1. vers. sed quid homines.*

58 Atrocitatem quoq; criminis huius agnovit etiam Hyppomenes Athenarum Princeps, qui filiam ex Atalantâ in adulterio deprehensam, ob scelus illud equo junxit, qui fame pressus dentes in ipsam iniecit.

Magni-

59 Magnitudinem ſceleris huius intellexit etiam Opilius Macrinus, qui duos miræ magnitudinis boues viuos ſubitò aperiri, illiſq; ſingulos milites, adulterij reos inſeri, hoc juſſit modo, ut capitibus exertis colloqui ſecum poſſent.

60 Non ignorauit quoque deteſtabile hoc criminis eſſe genus Aurelianus Imp. qui militem cum hoſpitis uxore in adulterio deprehenſum ita mulctabat, ut duarum arborum ſummitatibus inflexis pedes militis alligari, eáſq; ſubitò dimitti juſſerit, ut ſciſſus ille utrinque penderet. Vtinam hoc ſeculo belli Ducibus in mentem venirent adulterij hæc ſupplicia, eaque in coercendis militibus impiis, obſcenis, turpibus & flagitioſis dignâ imitatione jugiter ſequerētur; quo ipſi ab effrenato libidinis impetu, quem honeſtas in matronas, & virgines caſtas nefariè, turpiterquè facere dicuntur, deterrerentur.

61 In facinoris huius deteſtabile genus quiſque etiam populus aliter, atque aliter animaduertiſſe ſemper conſtat. Populus Iudaicus ex Moſaicâ lege adulterum & adulteram morti adjudicabat, ut patet ex Leuit. *cap.20.* Deut. *cap.22.* Ezech. *cap.18.* & Daniele *cap.13.* Genus autem mortis erat lapidatio, ut oſtendit text. in Leuit. Deuter. & Ezech. *dict. locis,* tum etiam *cap.16.* Ioannis.

62 Similiter Palæstinorum Regem adulteros suo in populo admodum fuisse execratum, eosque ultimo affecisse supplicio testantur sacra Biblia, *Genes. cap. 26.*

63 Tenedius quoque Rex quidam hanc in adulteros acerbam tulit legem, ut corpus utriusque securi discinderetur, ut ex aliis refert Tiraquell. *de legib. Connub. leg. 13. gl. 1. numero 6.*

64 Ægyptii marem in adulterio deprehensum virgis ad mille plagas cædebant, fœminam adulteram naso mutilabant, ut testatur Diodor. Siculus *libr. Bibliotheca 2. cap. 3.* & Ioann. Bohemus in suo eleganti libello, cui titulus est, *Mores, leges, & ritus omnium Gentium, lib. 1. cap. 5. pag. 44.*

65 Quod attinet Leges Romanorum Ciuiles de adulterorum pœnâ, Romulus Romæ urbis côditor in adulterii reum viro, propinquis, & cognatis arbitrariam permisit pœnam, ut ex Dionysio Halicarnassæo *lib. 2 Antiq. Romanar.* scribit Francisc. Balduinus *in comment. in Leges Romuli, lege 15.* Refert idem ex Suetonio in Tiberio, *cap. 35.* & aliis Ioann. Borcholt. *in §. item lex Iulia, Instit. de publ. iud.*

66 Postea aliis legibus usque ad tempora legis Iuliæ adulterium fuit punitum. Sic Fabiũ Gurgitem aliquot matronas adulterio conuictas

victas pecuniâ mulctasse scribit Liuius *lib. 10. ab urbe conditâ.*

Lege autem Iuliâ, quæ ab Augusto Cæsare condita fuit, *l. 1. ff. ad L. Iul. de adult.* & ideò lex Iulia dicitur, quòd Augustus à Iulio Cæsare adoptatus, proindeq; etiam Iulius dictus fuit, ut est in historia Dionis, *lib. 48* & refert Vulteius *ad d. §. item lex Iulia num. 1. Instit. de publ. iud.* Lege, inquam, Iuliâ in adulteros pœna relegationis constituta fuit, non mortis pœnâ, ut ex variis Pandectarum legibus euincitur; In *lege si quis viduam 5. ff. de quæstionibus,* deportationis pœna irrogari dicitur ei, qui cum incestu adulterium commisit. Vnde sequitur eum, qui simplex commisisset adulterium, relegatione punitum fuisse. In *l. Claudius 13. ff. de his, quæ ut indign. aufer.* cautum legimus, adulterii damnato non licuisse eam ducere, quam adulterio polluerat. Quòd si lege Iuliâ adulterii damnatus, morte siue ultimo supplicio afficiendus fuisset, frustra dispositum esset, quòd Iure non potuisset ducere uxorem, quam adulterio contaminauerat. Adhæc in *l. qui cum uno 4. §. adulterij, ff. de re milit.* constitutum legimus, adulterii damnatos inter milites non fuisse receptos. Dispositum quoque in *l. 2. §. miles, 3. ff. de his qui notant. infam.* ut miles adulterii

68

69

damnatus, ita infamis sit, ut ipsa etiam sententia eum sacramento ignominiæ causâ soluat. Quòd si lege Iuliâ adulteri mortis pœnâ fuissent plectendi, ineptè diceretur, eos non recipi inter milites, eos item ab exercitu mittendos esse ignominiæ causâ. Accedit eòdem text. *in l. Divus Hadrianus 8. ff. de divort.* ubi casus proponitur, quo adulter

70 in triennium relegatus fuit. Denique in *l. scio 14. l. ex eo 18. ff. de testib. & l. qui testamento 20. §. mulier ff. qui test am. fac. poss.* expressum legimus, lege Iuliâ à testimonij dictione arceri damnatos adulterij, id quod frustra cautum esset, si legis Iuliæ authoritate in adulteros mortis pœna converteretur. Et quòd lege Iuliâ non ultimum supplicium in adulteros fuerit conuersum, sed relegationis pœna in eos comparata sit, manifestum quoque redditur ex eo, quòd Caius Iulius filiam & neptem omnibus probris contaminatas relegauit, ut legimus apud Suetonium in Cæsare Augusto, *cap. 65.* Id quod apertius scriptũ reliquit Cornel. Tacit. *lib. 1. & libr. 4. historia Augusti ut & alibi.* Comprobat hanc sententiam D. Augustin. *lib. 3. de Ciuit. Dei, cap. 5.* ubi scribit, quòd adulteria Romæ non fuerint morte punita.

71 Quidam ex ICtis recentioribus Lege Iuliâ

in ad-

in adulteros non mortis, sed relegationis pœnam definitam esse sentiunt, inter quos Alciat. *lib. 5. paradoxor. cap. 8.* Cuiac. *in not. ad d. §. item lex Iulia, Instit. de publ. iud. lib. 6. obs. cap. 11. & lib. 10. cap. 18. & lib. 21. cap. 17.* Heigius *part. 2. quæstion. quæst. 29. numero 47. & seqq.* Alij verò aliter sentiunt, inter quos etiam Dominus Gœddæ *ad l. inter stuprum 101. num. 4. ff. de verb. sign.* & Iacob. Thoming. *decis. 42. num. 18.* Horum quidem opinionem tueri videtur textus *in d. §. item lex Iulia de adulterijs, Instit. de publ. iud.* ubi disertè scribitur, quod Lex Iulia temeratores aliarum nuptiarum gladio puniat, atqui in Iure nostro novum non est, pœnas usitatas ipsis adscribere legibus ex quibus crimen primo jussum fuit esse publicum. Heig. *d. quæst. 29. numero 68.* Tiraquell. *de connub. lege 13. gl. 1. num. 21.* Sic quod *in l. 1. §. ult. ff. de extraord. crim.* dicitur, perfecto stupri flagitio, reum capite puniri, desumptum videri debet ex legibus capitis pœnam stupratori siue adultero irrogantibus. 72

Cœpit tamen postea sanguinis esse pœna adulterii, ut arguit textus *in l. castitati 9. & l. quamvis 30. in fin. C. ad L. Iul. de adult. l. transigere 18. C. de trãsact.* Sed quis Imperator prim' mortis pœnã in adulteros sanxierit, in dubiũ vocatur? Quidã Alexandro Imp. acceptam referunt 73

ferunt eam pœnam, per *text. in d.l. castitati 9. C. ad l. Iul. de adult.* Aliqui Diocletiano, & Maximiano adſcribunt hanc mortis pœnam per *l. transigere 18. C. de transact.* Nonnulli Conſtantini Imp. Conſtitutione eam definitam eſſe pœnam autumant, per *l. quamvis 30. in fin.*

74 *C. ad l. Iul. de adult.* Verùm pœnæ huius primos fuiſſe authores Conſtantinum & Conſtantem Impp. euincitur ex traditis Cuiac. *dict. libr. 6. obſervat. cap. 11. & lib. 20. obſerv. cap. 18. & ad Nouell. 134. cap. 10.* ſentit idem Petr. Heig. *d. quaest. 29. num. 65. & ſeq. part. 2.* Vt & Ant. Faber *lib. 2. coniectur. cap. 20.* quorum omnium ſententiæ nihil derogat, quòd *d. l. castitati 9. C. ad leg. Iul. de Adult.* adſcribitur Alexandro Imp, & *d. l. quamvis 30. in fin. C. d. tit.* tribuitur Imp. Conſtantino. Quòd denique *d. l. transigere 18. C. de transactionib.* authores laudantur Dioclet. & Maximianus.

75 Quòd enim citatis locis adulterii pœna capitalis dicitur Triboniano cæteriſque collectoribus Iuris imputandum eſt, qui quod à Conſtantio & Conſtante Impp. ſancitum primò fuit, tribuerunt etiam aliis Impp. ut ſcribunt Ant. Faber. & Cuiac. citatis antea locis, & Giphan. *ad d. l. transigere 18. C. de trãsact.*

76 Eſt & illud hic monendum, quòd etiã Carolinâ Conſtitutione approbata fuit Conſtantii & Conſtantis Impp. ſanctio, de adultero

tero & adulterâ capite plectendis, Peinliche Halßgerichts Ordnung Kays. Carls deß fünfften artic. 120.

Iure autem Nouellarum Iustiniani Imp. 77 mulier adultera, quamvis in eâ turpius, & longè fœdius sit adulterium, quàm in viro, Tiraquell. *d. connubial. leg. n. 45. & 85.* Heig. *d. quæst. 29. n. 71. part. 2.* mitius tamen, quasi infirmior, & ad libidinem procliuior, Gœdd. *in d. l. Inter stuprum 101. n. 4. ff. de verb. sign.* mitius inquã, quàm vir adulter punitur, virgis enim cæsa in monasterium detruditur, ex quo si maritus intra biennium recipere eam voluerit, ipsi restituenda erit. *Nouell. 134. cap. 10. vers. adulteram verò, & Auth. sed hodie, C. ad L. Iul. de adult.* Vbi a. monasteria amplius non extant, 78 mulier adultera apud Saxones virgis cæsa, in perpetuum relegatur, data marito alteram ducendi potestate, ut testatur Wesemb. *in paratit. ff. tit. ad L. Iul. de adult. num. 28.* & Heig. *d. quæst. 29. num. 72.*

Similiter Iure Canonico fœmina adultera 79 monasterio mancipatur, in quo si maritus eam recipere nolit, toto vitæ suæ tempore permanere, & pœnitentiam agere jubetur, *c. gaudemus 19. Extr. de conversi cõiugator.* Eodẽ Iu 80 re in terris Põtificiæ Ecclesię excõmunicationis pœna in adulterũ laicum cõuertitur. *c. intelleximus 6. Extr. de adult.* Lud. Romã. *sing. 174.*

 Cleri-

Clericus verò adulter deponitur, & in monasterium detruditur, ut in eo pœnitentiam perpetuò agat, *can. si quis Clericus distinct. 81.* & Glossam ac varios Dd. sequutus scribit Clar. *lib. 5. sentent. §. adulterium n. 8.*

81 Cæterùm hodie multis in Provinciis Germaniæ aliisque Regionibus peculiares de adulteris puniendis extant leges, quarum authoritate pœnæ leuiores in adulterii reos & reas conuertuntur, quâ de re conqueruntur admodum Iul. Clar. *d. §. adulterium, n. 7. in fin.* Mynsing. *ad d. §. item lex Iulia de adulteriis, Inst. de publ. iud.* & Petr. Heig. *d quæst. 29. n. 76. part. 2.* ut non immeritò cum Iuuenale exclamare possimus *lib. 1. Satyr. 2.* ubi nunc lex Iulia dormis?

82 In Palatinatu, Saxoniâ & alibi adulteriũ adhuc capitale est. In Palatinatu Anno 1582. Constituta lex est de adulteris, ut mas adulter gladio, fœmina verò immersione in aquã

83 puniatur. Elector Saxoniæ Augustus Anno 1572. similiter constituit, ut mas & fœmina pariter gladii pœnâ plectantur, nisi mulier persona sit soluta, quæ virgis cæsa relegari jubetur.

84 Sed aliis quibusdam in locis pecuniariæ, aut carceris, aliæuè pœnæ leuiores, pro ratione personarũ aliarumq; circumstantiarum,

adulteris

adulteris infliguntur. Iure Württembergico adulter & adultera qui primùm hoc crimine se contaminârunt, quatuor septimanarũ carcere, & honoris priuatione puniuntur, ita ut eo tempore aquâ solùm & pane cibẽtur. Quod si post primam cœrcitionem denuò adulterij crimine se polluerint aliqui, Sanctio Württembergica persequitur virum ferro vltore, fœminam verò aquâ suffocari jubet. Sanctio Isthæc à Duce Ludovico Sanctissimæ recordationis publicata & edita fuit Anno 1586. die 21. Maij. 85

Ante illud tempus tamen qui secundâ vice adulterii erant conuicti, in foro columnæ publicæ torque collo injectâ adponebantur, & relegabantur: At vice tertiâ qui de adulterio accusati & conuicti erant, ultimo afficiebantur supplicio, & quidem mas adulter gladii pœnâ, fœmina verò submersione in aquam, & suffocatione puniebatur. Fürstl. Württ. Landts Ordnung Tit. vom Ehebruch / pag. 203. & sequent. 86

# INDEX
# RERUM MEMORABILIUM IN hoc Commentario contentarum.

*Prior numerus caput, alter paginam, tertius marginem paginæ denotat.*

## A.

Adul-

Com-

Exempla

xore

concum-

Pater

Præ-

Qua-

Q.



R.



S.



Solen-

Q Testes

Tor-

* *
*

## *Spongia Erratorum.*

In principio præfationis linea 7. pro coceditur leg. conceditur. pag. 2. lin. 10. lege adulterii pag. 16. lin. pen. lege ICtus, pag 27. lin. 10. lege definitum pag. 51. lin. 19. adulterium. pag. 69. lin. 18. transigi. pag. 70. lin. 3 transactionis. pag. 78. lin. 8. deleatur accentus super verb. cum pag. 96. lin. 25. inscriptiones. pag. 123. lin. 3. nobilis. câd pag. lin. 14 crimine. pag. 125. lin. 14. observato. pag. 133. lin. 21. deleatur accentus super dictione ante pag. 162. lin 8. domestico. pag 164. lin. 18. adulterii pag. 199. lin. 3. inter corporalia pag. 108. lin. 7. censuit.

# FINIS.

*TUBINGÆ,*

*Typis Philiberti Brunnii, Johan-Alexandri Cellii Successoris.*

ANNO,

M DC XXV.

* * *

---

# *Spongia Erratorum.*

In principio præfationis linea 7. pro coceditur leg. conceditur. pag. 2. lin. 10. lege adulterii pag. 16. lin. pen. lege ICtus. pag 27. lin. 10. lege definitum pag. 51. lin. 19. adulterium. pag. 69. lin. 18. transfigi. pag. 70. lin. 3 transactionis. pag. 78. lin. 8. deleatur accentus super verb. cum pag. 96. lin. 25. inscriptiones. pag. 123. lin. 3. nobilis. eâd pag. lin. 14 crimine. pag. 125. lin. 14. observato. pag. 133. lin. 21. deleatur accentus super dictione ante pag. 162. lin 8. domestico. pag 164. lin. 18. adulterii pag. 199. lin. 3. inter corporalia pag. 108. lin. 7. censuit.

# FINIS.

*TUBINGÆ,*

*Typis Philiberti Brunnii, Johan-Alexandri Cellii Suc-ceſſoris.*

ANNO,

MDC XXV.

* * *

# *Spongia Erratorum.*

In principio præfationis linea 7. pro coceditur leg. conceditur. pag. 2. lin. 10. lege adulterii pag. 16. lin. pen. lege ICtus. pag 27. lin. 10. lege definitum pag. 51. lin. 19. adulterium. pag. 69. lin. 18. transigi. pag. 70. lin. 3. transactionis. pag. 78. lin. 8. deleatur accentus super verb. cum pag. 96. lin. 25. inscriptiones. pag. 123. lin. 3. nobilis. eâd pag. lin. 14 crimine. pag. 125. lin. 14. observato. pag. 133. lin. 21. deleatur accentus super dictione ante pag. 162. lin 8. domestico. pag 164. lin. 18. adulterii pag. 199. lin. 3. inter corporalia. pag. 108. lin. 7. censuit.

# FINIS.

*TUBINGÆ,*

*Typis Philiberti Brunnii, Johan-Alexandri Cellii Successoris.*

ANNO,

M DC XXV.

* * *

# *Spongia Erratorum.*

In principio præfationis linea 7. pro coceditur leg. concedirur, pag. 2. lin. 10. lege adulterii pag. 16. lin. pen. lege ICtus, pag 27. lin. 10. lege definitum pag. 51. lin. 19. adulterium. pag. 69. lin. 18. transigi. pag. 70. lin. 3 transactionis. pag. 78. lin. 8. deleatur accentus super verb. cum pag. 96. lin. 25. inscriptiones. pag. 123. lin. 3. nobilis. eâd pag. lin. 14 crimine. pag. 125. lin. 14. observato. pag. 133. lin. 21. deleatur accentus super dictione ante pag. 162. lin 8. domestico. pag 164. lin. 18. adulterii pag. 199. lin. 3. inter corporalia. pag. 108. lin. 7. censuit.

# F I N I S.

*TUBINGÆ,*

*Typis Philiberti Brunnii, Johan-Alexandri Cellii Successoris.*

ANNO,

M DC XXV.

* *
*

## *Spongia Erratorum.*

In principio præfationis linea 7. pro coceditur leg. conceditur. pag. 2. lin. 10. lege adulterii pag. 16. lin. pen. lege ICtus. pag 27. lin. 10. lege definitum pag. 51. lin. 19. adulterium. pag. 69. lin. 18. transigi. pag. 70. lin. 3 transactionis. pag. 78. lin. 8. deleatur accentus super verb. cum pag. 96. lin. 25. inscriptiones. pag. 123. lin. 3. nobilis. eâd pag. lin. 14 crimine. pag. 125. lin. 14. observato. pag. 131. lin. 21. deleatur accentus super dictione ante pag. 162. lin 8. domestico. pag 164. lin. 18. adulterii pag. 199. lin. 3. inter corporalia. pag. 108. lin. 7. censuit.

# FINIS.